14-3-2-21

„[illegible]

14·3·L·21

SYRIANI ANTIQVISSIMI INTERPRETIS IN II. XII. ET XIII. ARISTOTELIS LIBROS METAPHYSICES Commentarius,

A HIERONYMO BAGOLINO, PRAESTANTISSIMO PHILOSOPHO, LATINITATE DONATVS.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IN ACADEMIA VENETA, M. D. LVIII.

AD ILLVSTRISSIMVM IOANNEM IACOBVM FVCCARVM, BARONEM

Vuueiſſenhorem Kirchberg Phirt, Cæſareæ Maieſtatis Conſiliarium, Patronum colendiſsimum.

Ex iis literis, quas à te accepimus, mirificam tuam humanitatem ſignificantibus, maximeq́; ex prudenti oratione Abatis Morlupini, Academici noſtri, ſimulq́; ab aliis non obſcure cognouimus, neque te beneuolentiam nobis præſtare maiorem poſſe, neque melius, ac præſtantius, pro communi bonorum omnium fructu, eſſe animatum erga hoc noſtrum inſtitutum, quo ad excitandam adiuuandamq́; uirtutem aſsidue incumbimus. Itaque hactenus intimo quodam ſtudio eas tibi gratias habuimus, quæ minime uerbis explicari queant; cum illud interea ſtatutum nobis eſſet, grati animi ſignificationem tibi tantam oſtendere, quanta poſsit à noſtra in te ſingulari beneuolentia, obſeruantiaq́; proficiſci. Nunc autem factum à nobis eſt, monente atque hortante præſtāti uiro, Federico Baduario, qui noſtram Academiam conſtituit, ac tuetur; qui te ſumme colit, diligit, &, ubicunque occaſio fert, mira quædam de te prædicare ſolitus eſt; ut ex nobiliſsimo theſauro librorum pene innumerabilium, qui apud nos habentur, partem aliquam ad publica & præclara iſtius ampliſsimæ prouinciæ ſtudia mittere ſtatuerimus,

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

rimus, cum id tibi fore gratiſsimum exiſtimaremus. & quanquam aſsiduis ac ſummis te eſſe diſtrictum occupationibus intelligamus, idq; non ſolum in Germania, ſed in aliis quoque regionibus ob ea negocia, quæ quotidie cũ magnis Principibus ſummo tuo ſplendore ac magnificentia tractas: (quis enim, qua fide, qua ſapientia non modo conſilium, uerum etiam non uulgare commodum patriæ tuæ, ipſi prouinciæ, & Imperatoribus, pacis, belliq; tempore, præbueris, ignorat?) tamen, cum in eo præcipuam tibi uoluptatem, ornamentumq; uel maximum conſtituas, ſi tibi omnes homines, excellenti uirtute præditos, tum intueri, tum præmiis etiam, quãtum res poſcat, liceat ornare: mittimus ad te, uel potius, dicatum tibi, ad omnes bonarum artium ſtudioſos, commentarium Syriani, græcorum interpretum antiquiſsimi ac celeberrimi; quo quidem nobiliſsima illuſtratur uniuerſæ philoſophiæ pars, quam ab eo philoſopho conſcriptam, cuius in ingenio natura ſimul & ars quaſi certatim ſuas uires uidentur oſtẽdiſſe, doctiſsimi uiri ſtudioſiſsime tractant. talem, inquam, commentarium cum illuſtri tuo nomine emittimus, donatum latinitate ab eximio ac laudatiſsimo philoſopho Bagolino. cuius filius Ioannes Franciſcus, æque, ac pater, publici commodi ſtudioſus, detulit ſua ſponte ad Academiam noſtram hanc patris induſtriam, præclaræ ſuæ doctrinæ perſpicuũ argumentum, in excellente libro collocatam; ut ad alia ſanequam multa, quæ tum à patre eius, tum etiam à fratre, patri quamſimillimo, beneficia ſtudioſi acceperunt, hoc etiam à ſua

uoluntate

uoluntate non mediocre accederet. Ex hoc igitur libro maxime certam, ac perſpicuam omnes nobilium diſciplinarū cupidi locorum obſcurorū intelligentiam haurient. ſententias enim complectitur ſublimes, illuſtres, exquiſitas: quas qui propius intuetur, non aliter atque oculus in lucidum ſolis corpus intuens, mentis aciem ſentit obcæcari, atque præſtringi. Alia ſequentur nec pauca, nec, ut ſperamus, minima noſtræ tum in te, tum in ipſam uirtutem obſeruantiæ argumenta, ex iis orta laboribus, ac uigiliis, unde fructum egregiis literis emanaturum eſſe uberrimum iudicabimus. id quod ex catalago librorum noſtrorum, quem à nobis proxime publicatum, cum his literis ad te mittimus, facile & tibi, & omnibus coniicere licebit. Et, quemadmodum Germaniæ tuæ cum Italia noſtra, & primariis illius urbibus cum hac noſtra felicisſima, admodumq; glorioſa patria, aſsiduus intercedit uſus, & communio earum rerum, quæ ad humanæ uitæ commodum, ad ornamentum, ad quæuis neceſſaria pertinent: item nos pro uiribus eniti decet, &, quod decet, ſumme cupimus, ut animis ac mentibus utriuſque prouinciæ ſuauiſsima atque perpetua ſuppeditemus alimenta. Denique, pro noſtro erga te incredibili ſtudio, multiplici ſcriptorum genere cunctis hominibus Germaniam incolentibus plane oſtendemus, ſicuti ab excelſa, præſtantiq; tua uirtute multas dignitates, multa ac uaria commoda conſecuti ſunt, aſsidueq; conſequuntur; ita fore, ut ab Academia noſtra maiorem in dies ſingulos copiam ueterum &

recentium

recentiũ librorum in omnibus ſcientiis, qui editi nunquam ſint, accipiant: quæ quidem ea uoce, quam conſentiens atque conſtans uoluntas format, cupide precatur ab æterno Deo, ut, quod tibi reliquum eſt uitæ, uelit eſſe ab omnibus animi moleſtiis ita uacuum, ut hactenus ab eiuſdem Dei benignitate, ſumma tuarum cogitationum temperantia, egregia in omnibus rebus prudentia, aſſecutum te eſſe conſtat: tuamq́; nobiliſsimã ſtirpem, ut ſperamus, in altiſsimo uirtutis, honoris, & gloriæ faſtigio collocet. Quod quia curas aſsidue artibus honeſtiſsimis, atque nobiliſsimis, & quia tuas omnes ad bonorum omnium parentem, ſummum Deum, cogitationes refers; fore auguramur, ac minime dubie credimus, ut uoluntati tuæ, cupiditati noſtræ quam feliciſsime res ipſa reſpondeat.

Academia Veneta.

h2

SYRIANI PHILOXENI

In libros II. XII. XIII. Metaphyſices Ariſtotelis,

Interprete Hieronymo Bagolino, philoſopho præſtantiſsimo,

COMMENTARIVS.

CVM *in maiori α quæ ſit præſens conſideratio, dixerit, quòd entis, quatenus ens; & quæ ſcientia, quòd prima philoſophia; & quot cauſæ, & quo pacto antiquiores philoſophi de cauſis quouis modo entis diſputauerunt; & adhuc in minori α cum oſtenderit, quòd nec ſecundum rectitudinem, nec ſecundum ſpeciem infinitæ ſunt cauſæ; nunc incipiens ſecundum, qui inſcribitur β, primum dubitare opus eſſe dicit, ut & copioſius uerſemur in propoſitis conſiderationibus, (neque enim facultatem habuiſſe poteſt is, qui dubitationes non ſoluerit; neque ſoluiſſe, niſi qui nouerit dubium ipſius rei) & ut uideamus finem propoſitæ conſiderationis. ſolutio enim dubitationum, facilem uiam præbens, præparabit nobis occurſum ad ueriſſimum ſpeculationis finem. Ex his enim, conueniens eſſe philoſopho dubitare, oſtendit: ut oppoſitarum rationum, ueluti incorruptibilis, & inuiolabilis, factus arbiter, eligat quod eſt utri ſpeculationi conſonantius. Hæc cum proœmij loco poſuit, expoſitionem primam dubitationum facit: deinde, poſterius in unaquaque oppoſitos ſermones coadiuuans, auget dubitationum difficultatem. ſolutiones uero ab ipſo quidem non oportet quære re in hoc libro. eſt enim totus ſecundus dubitatiuus. Nos uero, ſimul ipſo dubitationes proponente, per rationes re-*

A ſpondere

ſpondere tentabimus, & , oppoſitas rationes interrogante, ueris quidem aſſentire, ſophiſticis uero repugnare. cum enim quis huiuſcemodi intentionem adeptus fuerit, & literam philoſophi manifeſtam conſtituet, & totius negocij propoſitum in non multis amplectetur. de his enim, quæ hic propoſuit, & non de aliquibus alijs Ariſtoteles, niſi forte extra propoſitum, in ſupernaturalibus hiſce doctrinis ſuis diſputabit: & adhuc expeditam faciet litigioſarum rationum redargutionem. oſtendet quoque, quonam pacto & Pythagoricus, et Platonicus his inſtãtijs occurrere potuerit.

PRIMA igitur dubitatio, utrum unius, aut multarum ſcientiarum ſpeculari cauſas.

QVOD *quidem quærit, huiuſcemodi eſt: quoniam & effectiua eſt cauſa, & formalis, & finalis, in quibuſdam quoque & materialis; nunquid ſciens rem ipſam, ſciet omnes eius cauſas, unus exiſtens, quatenus unam habet ſcientiam, aut multæ ſcientiæ circa multas uerſabuntur cauſas, et una quidem cognoſcat effectiuam, alia uero fortaſſe materialem, aut finalem, alia uero formalem.*

RESPONDEMVS *ergo, quod una omnia conſiderat. unam enim aliquam ipſarum ignorans non habebit rei ſcientiam. ſi autem & de ſapientia ſermo ſit, admodum ridiculum eſſet putare, ipſam ignorare bonum, aut formam, aut generatiuam entium cauſam.*

ET utrum ſubſtantiæ principia prima.

QVAERIT *quidem, utrum primus philoſophus cauſas entis ſciens, ſciet & eam, quæ eſt in maxime primis, & immediatis propoſitionibus, ueritatem: aut, alterius quidem ſit cognitio principiorum entis, alterius uero entium & uniuerſaliſſimarum dignitatum.*

SED *manifeſtum eſt, quod eiuſdem eſt & hæc, & ipſa cognoſcere.*

ſcere. neque enim, altera ignorans, perfectus eſt: & ex utrorunque cognitione principiorum, ſcientiarum ſcientiam habebit, ex ſpeculatione quidem dignitatem, & principia cognoſcens demonſtratiua, & ſubminiſtrans ipſam alijs ſcientijs: dialecticæ quidem, & omnino omnibus, quæ ſyllogiſmo utuntur, eo quòd fieri non poſſit, ut idem affirmetur, & negetur: naturali uero, eo quòd nihil ex non ente generatur: Geometriæ uero, eo quòd, quæ eidem æqualia ſunt, inter ſe etiam ſint æqualia: omnibus ſcientijs, quòd bonum ſit ultimum appetibilium. De quibus quæ quidem utuntur, ſolam credulitatem habebunt. ipſe uero à nullo hæc recipiens melius, quàm per demonſtrationem, ſciet: per entis uero cauſas omnia ſcibilia ſpeculans.

QVEMADMODVM *igitur eiuſdem eſt, ſcientiam habere, et ipſum ſcibile; &, qui alterum non eſt aſſecutus, neque etiam, quod reliquum eſt, habebit: ſic unius, & eiuſdem uiri eſt, entium cauſas conſideraſſe, & demonſtratiua principia, per quæ & ipſa entia, & cognitiones entium deſuper ex quadam intellectuali ſpecula conſiderabit.*

ET, SI eſt circa ſubſtantiam.

QVAERIT *quidem, an, ſi conceſſum fuerit, ſapientiam circa ens ſe habere, circa omne ens hæc ſe habebit, aut plures erunt, quibus ſit entis cognitio diſtributa.*

RESPONDEMVS *autem, quòd ſapientiæ quidem eſt, entia omnia, quatenus entia ſunt, ſcire; nihil tamen uetat & alias eſſe, quibus partes entis ſint diſtributæ; etſi diuerſimode ipſas, & communius conſiderent; ut arithmeticam, & aſtrologiam, naturalem, medicinam, & ſi quæ aliæ huiuſcemodi ſunt.*

ET, SI plures, utrum omnes cognatæ.

HAEC *reliquia eſt prioris. neque enim in ſequentibus ſeorſum,*

de ipſa ſermones faciet. Dixeris uero occurrens problemati, quod ſpecies quidem totius philoſophiæ, ut prima philoſophia, & naturalis, inter ſe cognatæ ſunt, & totæ: quæ uero non circa ſubſtantias principaliter uerſantur, ut mathematicæ, ut quidem non coordinatæ ipſi ſapientiæ, aut æquatæ ipſi magnitudine, & dignitate, nunquam utique cognatæ ipſius eſſe dicantur: unde neque multæ ſapientiæ ſunt ſed una, quæ ueriſſima eſt. uerum, ut ab ipſa procedentes, & ex datis ab ipſa principijs dependentes, & neque tantillum ab ipſa remoueri potentes, ſic quidem & inter ſe, & generaliſſimæ ipſarum ſcientiæ cognatæ eſſe dicantur. & quia omnium intellectus eſt parum excellens, etſi proxime quidem ipſius ſapientiæ, ueluti unitatem quandam hanc ſcientiarum ſubſtituens, quæ omnes cognitionum ſpecies in ſe ipſa in ratione principij præaccepit, per ipſam quoque particularium principia iaciens. idcirco neque omnes æque præſtantes ſunt; ſed propinquior quidem ſapientiæ, ea, quæ magis abeſt, uenerabilis magis eſt: quæ uero per plures ſcientias ad ipſam recurrit, intermedijs omnibus inferior eſt.

SED *neque cognitionem eodem modo habent. arithmetica nanque geometriæ, & alijs mathematicis cognatior eſt, quàm naturali, & diuinæ. nam per unum uinculum, quod eſt ipſius ſapientiæ ad intellectum, cum ipſis remittitur. diuiſiua uero, & reſolutiua, & defectiua, & demonſtratiua ſibi inuicem magis conueniunt, quàm alijs quibuſdam, tanquam proxime ab ipſa ſapientia dependentes, & per ipſam ſimul cum ſplendidiſſimo igne generi ſeruandarum animarum donatæ.*

ET HOC quoque ipſum eſt inter quæſita neceſſaria.

IPSE *quidem dignum eſſe dicit inquiſitione, ſi cum ſubſtantijs ſenſibilibus, ut cœlo, terra, medijs elementis, animalibus, & plantis, ſint & aliæ quædam ſubſtantiæ intelligibiles.*

Verum

Verum rationabiliter utique quis quæſierit, ſi, cum ueris ſubſtantijs, etiam apparentem diſpoſitionem ſubſtantiam appellare æquum ſit, an non. forte enim generationis nomen eſt ei decentius.

Et vtrvm ſingulariter, aut plura genera ſubſtantiarum.

Pars *quidem etiam hæc eſt præcedentis problematis. nam ut unum ipſum in ſequentibus faciet. quod uero dicit, huiuſcemodi eſt. Etſi conceſſa fuerit, inquit, eſſe quædam ſubſtantia præter ſenſibilem; nunquid unius ſpeciei erit, aut ſaltem duarum ſpecierum? iam enim Plato uidebatur inter intellectualem, & ſenſibilem cogitabilem aſſumere: ſub qua ordinabat & mathematica, non quæ ſcilicet imaginabilia ſunt, & opinabilia; hæc enim non ſunt ſubſtantiæ, ſed ſubſtantiarum imagines: ſed illa, quæcunque ſecundum ſubſtantiam anima in ſe ipſa continere dicitur, quorum et principia, & geometrica, & arithmetica, & harmonica intellectus opificis ipſi impoſuit, ubi de generatione animæ agitur in Timæo, tradita ſunt.*

Dicemvs *igitur, quòd poſſibile eſt, & unam dicere eſſe omnium intelligibilem ſubſtantiam, cum ſenſibilem ab ipſo ſolam ſeparemus. quid eſt, quod ſemper eſt, generationem uero non habens? & quid eſt, quod fit quidem, nunquam uero eſt? ſecundum diuiſionem in duo quouis modo entium. Poſſibile quoque eſt, occultam, & ratiocinatione ſpeculabilem ſubdiuidere, & in proprie intelligibilem, & in cogitabilem, iuxta ea, quæ dicuntur in libro de republica. Præterea uero & utranque harum licet ſubdiuidere. intelligibiles enim & intellectuales multos ordines aſſumpſimus. & animarum diſtinctio ei, qui ſecundum ſpecies entia diſtinguere curauerit, multam ſecundum ſubſtantiam diuerſitatem uidebitur habere.*

Et

ET DE his igitur, ut diximus, conſiderandum eſt.

SAPIENTIA, *inquit, utrum ſubſtantias ſolas conſideret ipſarum rerum, aut per ſe accidentia. Dicemus igitur, quòd & ſubſtantias. & quæ hoc pacto inſunt, per reſolutiuam quidem principia entis accipiens; per diuiſiuam uero, & finitiuam omnium ſubſtantias conſiderans; per demonſtratiuam uero, quæ per ſe ſubſtantijs inſunt, concludens; hoc uero in ſimpliciſſimis, & proprie intelligibilibus ſubſtantijs eſt, quòd omne, quod ſunt, hoc ſunt. ideo neque definibiles, nec demonſtrabiles fiunt, ſed ſola apprehenſione conſiderantur, ut etiam ipſe multis in locis dicit dicens: intellectus autem aut attingit, aut non. & diuinus Plato: Animæ gubernator ſolò intellectu conſideratur.*

SED *in ſubſtantijs medijs, quæ demonſtrabiles ſunt ſecundum ea, quæ eis inſunt, ſic ſe habent. Simpliciſſimis quidem entium nihil ineſt, præter ipſorum eſſe. quapropter non eſt ipſorum hoc quidem ſubſtantia, illud uero aliud. idcirco meliora hæc ſunt & definitione, & demonſtratione.*

VNIVERSALIBVS *uero rationibus per ſe conſideratis, & ornantibus ſenſibilem naturam, per ſe accidentia ſuperueniunt. ideo & demonſtratio circa ipſa uerſatur.*

IN *materialibus uero ſpeciebus, & indiuiduis, & ſenſibilibus, etiam quæ proprie accidentia ſunt, imaginatione percipiuntur, quæ adſunt, & abſunt præter ſubiecti corruptionem.*

HAEC *uero rurſus deteriora accidentibus demonſtrabilibus, per ſermonem de ſignis apprehenſibilia fiunt, non quidem ſapienti, quatenus ſapiens, ſed medicis forte, & phyſicis, & uniuerſo huiuſcemodi generi.*

AD HAEC autem de eodem, & altero.

QVOD *quidem ſapientis, ſecundum ipſum Ariſtotelem, ſit, & ſubſtantias conſiderare, & per ſe accidentia, exclamat proœmium tertij: Eſt ſcientia quædam, quæ conſiderat ens,*

inquantum ens, & quæ huic in ſunt per ſe.

QVOD *uero, quæ nunc ad ſpeculationem expoſita ſunt, maxime ipſi enti per ſe ineſſe uidentur, ſignificat illud, quòd ipſa per omnia entia perambulant. nam identitas, & diuerſitas, & ſimilitudo, & diſſimilitudo, & quæcunque nunc propoſuit, non in quibuſdam quidem entium uidentur; à quibuſdam uero abſiſtunt, ſed deſuper ab intelligibilibus incipientes, & omne intelligibile, & diuinum diſtinguentes, per animalem ſubſtantiam ad naturam uniuerſorum, & cælum, & generationem deſcendentes, identitatem, & æqualitatem, & ſimilitudinem, quæ eſt ipſius unius optimæ naturæ, entibus impertitæ ſunt.*

DIVERSITATES *uero, & diſſimilitudines, & inæqualitates, contrarietates, & prius, & poſterius, & huiuſcemodi ſimul omnia à fœcundiſſima, & indeficiente omnium cauſa, ſcilicet infinitæ uirtutis dualitate, et uiſibilibus ſubſtantiis & ſenſibilibus ſuggeſſerunt, ut neque ſit natura media impartibilium, & partibilium, neque ſecundum exceſſum ſic ab omnibus abſtracta, neque ad ſenſibilium effectuum exitus abiecta, quæ non his ſpeciebus diſtincta ſit.*

ET *ob hoc Plato in Sophiſta genera ipſius entis perſcrutatus, quæ per omnia entia perambulant, identitatem, & alteritatem, & eſſentiam, & ſtatum, & motum enumerauit.*

AMPLIVS *ipſius quoque naturam non entis inſinuauit, quæ cuiuslibet quidem differentiæ, cuiuslibet quoque compoſitionis, & contrarietatis unam cauſam defert,*

ET *adhuc in Parmenide primam formarum enumerans meminit de ſimilitudine, et aliis ſimiliter prius ſuppoſitionibus, in conſiderationibus de formis, et in his ipſis ſuppoſitionibus; per primam quidem ſolam unius ſupereſſentiam, & impluriſicatum bonitatem ab his excipiens; per ſecundam uero entia omnia his diſtinguens cauſis. quamuis, ſi neque ſubſtantiali, hæc adeſſe poſſint, neque ab aliquo eorum, quæ*

quouis

quouis modo entia ſunt, remouentur, cur non ipſis entibus, quatenus entia ſunt, per ſe accidiſſe dicantur? Ideo & qui circa naturam occupantur, & mathematicus, & primus philoſophus ipſis coguntur uti, modo credulitatis reliqui, ſolus uero primus philoſophus ſcientifice, & intellectualiter. unde et ipſe dæmonius Ariſtoteles & in nono huius negocij de omnibus his ſimul docet, & in his latenter conſtruxit, quod ſapientis eſt de his ſcire. nam ſi dialecticus probabiliter de ipſis peetractabit, ut dictum eſt & hic, & in Topicis: quis erit, qui cum ſcientia de ipſis doceat? an manifeſtum eſt, quod ille, quem induit dialecticus? effingitur uero talis eſſe non unus artificum: (non enim utique de omnibus conaretur diſputare) ſed de illis tantum curam haberet, quæ ſunt ſub illa arte, quam habet. nunc uero de omnibus interrogat, & reſpondet, ſapiens eſſe uideri cupiens. hic ergo ſcientifice de his dicet, de quibus probabiliter ſophiſta. eſt enim ſapientis etiam hic ſimulacrum multifarium. propinquius uero dialecticus ipſe, quemadmodum & intellectui propinquior eſt opinio, remotior uero phantaſia. Si igitur induentes ſapientem de his pertractant, multo prius cognoſcet ipſe harum naturam, & proprietatem: quoniam neque ſimulacra circa ipſa utique uerſaretur, niſi uniuerſam, & primam, & ueriſſimam ſcientiam ſentiret eorum, qui circa hæc negociantur. igitur & circa hæc ipſa ſe habebit ſapiens, & circa ea, quæ inſunt ipſis, ſecundum eorum proprietatem ipſa conſiderans, ſi, quæ eidem æqualia ſunt, etiam inter ſe æqualia ſunt: & ſi unum uni contrarium eſt: & huiuſcemodi. ubique enim ſcientia, quæ, ipſum quod quid eſt, ſcit, &, quæ per ſe inſunt, cognoſcit, & demonſtrat. etenim abſurdum eſt, primam habentem de quocunque ſcientiam, ſecundam, & quæ ad hanc poſterius poſita ſunt, ignorare. Hæc quidem intantum.

SI AVTEM *quis inquirit, cur Plato quidem in his motum*

& ſtatum

& ſtatum enumerat, prætermiſit uero horum Ariſtoteles memoriam: ſciat, quòd Plato quidem, ſciens & motum, & ſtatum in latitudine diuinarum & humanarum rerum, neceſſario in generibus entis etiam hæc enumerat. Qui uero naturalia ſolum corpora moueri putat, & quieſcere, merito non putat extendendam eſſe ad omnia entia horum generum proprietatem. A

ET unum principia, & elementa genera ſint.

DVO *proponuntur nunc ab ipſo, unum quidem, ſi genera rerum principia oportet dicere, & elementa; principia quidem, ut cauſas; elementa uero, ut ſimpliciora: quoniam & definitio in hæc ultima reſoluitur: an potius ea, quæ inſunt rei, in quæ res ipſa diuiditur: quæ & propriæ ipſius appellantur.*

SECVNDVM *uero, ſi & quammaxime genera dederit aliquis eſſe principia, non autem ea, in quæ unumquodque diuiditur: utrum, quæ magis comprehenſiua ſunt, & ad plura extenduntur, (talis eſt enim principiorum intellectus) an potius, quæ proxime prædicantur: ut, Calliæ utrum principium ſit animal, aut homo.*

DICEMVS *igitur ad primum. Quæ principia ſermo quærit nunc? nam ſi materialia, aut formalia: quæ inſunt rei, principia ſunt. ſin effectiua, aut finalia: genera ipſa principia ſunt: non quidem hæc, (eorundem enim principiorum hæc ſunt) quæcunque ſunt poſterius genita: hæc enim ſunt in ipſis operatis: nec etiam, quæcunque ab ipſa ſenſibilia conſtituta ſunt: eſt enim in Callia & homo, & animal. quæ quo modo poſſent effectiua eſſe principia ipſius, aut finalia, cum ſint partes apparentis ſubſtantiæ? ſi uero ſunt aliqua genera ante ipſa ſingularia, ſenſibilium cauſæ, quæ in rationibus naturæ uniuerſorum inſpiciuntur, & adhuc multo prius in ſpeciebus mundanæ animæ ſplendent:*

hæc utique dixerim merito rerum, quæ hic ſunt, eſſe cauſas. & ante hæc adhuc uniuerſalibus rationibus expanſa ſunt. his uero cum effectiua etiam finalis cauſa eſt aſſignanda: nõ quia etiam penes principia ſubmiſſa non ſit finis: ſed quia manifeſtior in his apparet, tanquam ſcilicet firmatis in ueſtibulis ipſius boni.

AD SECVNDVM *uero horum iam prædictorum manifeſtus eſt occurſus. ſiquidem ſecundum intellectum poſterius genita accipimus: genera propinquiora ſubſtantijs, quæ primæ dicuntur, erunt magis ſubſtantiæ, & ob hoc magis principia: quæ uero remotiora ſunt, plus ſubſtantiata ſunt ijs, quæ circa ipſa, obſcuritatem exiliorem, ex diſtantia à ſenſibilibus, recipientia. ſi uero proprie uniuerſalia genera, & effectiuas ſingularium rationes, naturales, & opificias: manifeſtum eſt, quòd id, quod eſt magis comprehenſiuum, & ad plura ſe extendit, diuinior eſt cauſa, & abſque illo procedere, aut operari nihil omnino poteſt. hoc uero utitur eo, quod poſt ipſum eſt, cum id, quod ſecundum illud eſt, operatur. multaq; alia indigentia cauſa particulariori ſubſiſtunt.*

HORVM *quoque, quæ apud dialecticos ſunt imaginaria genera, & ſpecies, ſigna oſtendunt manifeſta. de quibus nanque ſpecies, de his genus, ſi quid in ipſo toto eſſe dicitur. permutans igitur id, quod eſt de aliquo dici, ad id, quod eſt operari, tranſcendes quidem ab imaginibus ad uera genera, et ſpecies, & ſpeculaberis ipſorum ad inuicem contextum, exceſſum, & diminutionem, & omnino in quibuſcunque dignitates.*

MAXIME uero quærendum, & negociandum.

CVM *naturales materiam ſolam uiderent, & hanc aquam, aut aerem, aut ignem eſſe dicerent; alij uero effectiuam etiam cauſam inſpicerent quidem, ſed inſeparabilem ab hac materia,*

materia, quemadmodum Stoici quidem poſterius, necnon quidam alij ante ipſos; alij uero ſeparabilem cauſam à natura relinquerent, ut & ipſe, & Plato: etſi ipſe quidem ut appetibilem omnium ipſam cauſam ſupponat, Plato uero etiam ut generatiuam uniuerſorum: merito in his proponit, quænam ex his opinionibus uerior ſit. & manifeſtum eſt, quòd quæ ipſius, eadem Platonis eſt. Cum uero iterum quærit, utrum una ſit ſeparabilis cauſa, aut multæ: & unam dicemus, & multas, coordinata multitudine ad ipſum unum, & ut ad proprium appetibile extenſa: quemadmodum & ipſe in XI *tradidit.* A

ET utrum aliquid præter ſimul totum.

QVAERIT *quidem in his, an ſint, præter compoſitum, & ſpecificatum, & uniuerſales, & per ſe ſpecies; et ſi ſint omnium naturalium, & artificialium, pulchrorum, & turpium, bonorum, & malorum; & perfectorum, & imperfectorum: aut quorundam quidem eſſe, quorundam uero non: & quorum quidem ſint, quorum uero non. Certe igitur de his diſcernere ſciet, quicuque uoluerit ex ijs, quæ Plotinus, & Iamblichus philoſophati ſunt, & nos in alijs faciemus, quærentes ſi ſingularium, generabilium, & partium, ut pedis, digiti, & qualitatum, aut omnino accidentium ſunt ſpecies in natura, aut in anima, aut inanimata. nunc uero confuſius, & quantum neceſſe eſt de diuinis & de intelligibilibus dicere cauſis, dicemus.*

DICIMVS *quidem, turpium, & imperfectorum, & malorum non omnino eſſe ideas. nam per receſſum hæc in ultimis naturæ ſubſiſtunt, eo ſcilicet, quòd particularis anima imbecillis ſit, quia non ſuperat ſubiectam infinitatem. natura tamen conſtantium ſubſtantiarum, & per uniuerſum exiſtentium, eſſe fabricatorias ſpecies, quemadmodum artificialium in ipſa arte, ſed eorum quidem, quæ ſecundum* T

artem ſunt, etiam ipſe concedit. multis enim in locis ex immateriali domo materialem dicit perfici: quemadmodum et in ſexto dictum eſt huius negocij: exemplari uero ipſarum artium, toti dico creationi ſpecificæ diſtinctionis, minime dat manus. etſi quo modo naturam imitata hoc ſolum pacto faceret, niſi multo prius hoc modo natura ipſa operaretur?

A M P L I V S, principia utrum numero, an ſpecie terminata.

P R I N C I P I A *quidem eſſe terminata, ut conceſſum in his recipitur: ſed dubitat, utrum numero terminata ſint, ut quatuor elementa, uerbi gratia, ipſorum corporum: hæc enim numero ſunt quatuor: ideo neque ſimpliciter ex aere, & igne fit corpus, ſed ex mundano aere, & igne, qui hic eſt: an prius ſpecie terminata ſunt, ut uocis elementa* XXIIII. *quòd enim hæc ſpecie, & non numero, ſint terminata, manifeſtum eſt ex hoc, quòd totum a in multis eſt ſyllabis, non parte ſui primæ ſyllabæ, b a, & parte ſyllabæ, s a: quem admodum aer parte quidem ſui hoc corpus conſtituit, alia uero ſui parte alterum. Quærit ergo, utro modo ſint principia terminata numero. ſi autem numero, & ſpecie. manifeſtum eſt autem, quòd ſi quidem ſpecie, non omnino & numero: ſi autem numero, etiam ſpecie. illud autem & in rationibus, & in ſubiecto, aut propter differentiam dixit cauſarum: ut formales quidem, & effectiuas, & finales dicat eſſe quæ in rationibus principia; materialia uero, quæ in ſubiecto: aut quæ quidem probabiliter antecedentes poſitæ ſunt, dicit eſſe in rationibus; quæ uero uere ſubſtantijs inſunt, in ſubiecto eſſe.*

T A L I *uero exiſtente inquiſitione, dicemus quod ueræ quidem cauſæ, & principia omnium, & unum, & interminata dualitas, utraque hæc ſupergrediuntur, quæ in diuiſione aſſumuntur: unum enim numero et indiuiduum materialibus*

ſolis

ſolis formis conuenire: quoniam unum, quod immateriale eſt, non minus eſt omnia, quàm unum, & quod in formis eſt terminatum. ſiquidem in elementaribus principijs conſideretur, ueſtigium unius cuiuſdam defertur antiquioris, quemadmodum multa. aut imitantur utraque unam quandam intellectus paſſionem, aut phantaſma ſignificatiuum. ſic enim & multi lapides, & equi unius cuiuſdam ſunt imagines. ſi autem effectiua ſit, & fœcunda, & ab effectibus abſtracta, aut etiam appetibilis ab ipſis, & finalis cauſa: ſtatim quidem fuerit poſt principia uniuerſorum. receptiuus enim mundus in principijs eſt, & primus ab eis: non tamen quòd uniuerſorum principia, quæ & partium, & ſpecificorum numerorum expanſa ſunt. Quæ uero ſunt ſecundum Ariſtotelem, quæ in XIII *tradit, utrunque ſimul utique habere uidebuntur. etenim numero terminata ſunt: ſiquidem tot ſunt, quot quæ circulo feruntur ſphæræ: & ſpecie: ſiquidem unumquodque ab omni, quodcunque ſit ipſorum, ſecundum ſpeciem differt: ut hoc, quod ſuperius ſit, & magis contineat, & ſimpliciori intellectione utatur. hoc uero deterius, & ſubmiſſius, tanquam ipſis corporis ſphæris eadem ratione ordinatis.*

QVAPROPTER, *ſiquidem Pythagorica principia conſideremus, neutrum horum in principijs eſt. quo modo enim poſſibile eſt, cum omnis numerus ſit multitudo non terminata ſecundum unum indiuiduum, aut ſecundum ſpeciem, et cum ſit omnis numerus principiorũ fœtus in principijs, terminatam quouis modo multitudinem conſiderare? ſed etiã unum dicamus eſſe omnium principium, & Deum ipſum aut bonum, aut unum appellemus, aut finem, & infinitatem, ut in Philebo Plato, & ante ipſum Timolaus ipſum nominantes; aut unitatem, & binarium, ut plurimi Pythagoreorum; aut ætherem, & Chaos, ut Orpheus; aut factorem, & dualitatem, ut ipſe Pythagoras in ſacro ſermone;*

neque

neque proprie ipſa nominamus. non enim appellationem tantum, ſed omnem etiam humanam intellectionem excedunt. neque unum & duo ſecundum numerum, aut ſpeciem nominamus. communis enim numeri, & omnis ſpeciei intelligibilis cauſam in ſe ipſis principia præaſſumpſerunt.

SED *eſt alius locus apud eos, qui theologici magis, demonſtrationis horum.*

ET *tot quidem de Pythagoreis principijs. quod idem eſt, ac ſi dicas, de Orphicis, & Platonicis. Si autem, quæ apud ipſum principia ſunt, & numero, & ſpecie dicemus eſſe terminata: (etenim tot ſunt, & non eiuſdem ſpeciei) antiquitate tamen, & dignitate ſubſtantiæ differunt: alterum uero determinate ipſis proprie principijs non diſtat, niſi forte materialibus, & formalibus.*

ET utrum corruptibilium, & incorruptibilium eadem, aut diuerſa.

HAEC *quidem, ut duo quæſita, proponi uidentur, utrum eadem principia corruptibilium, & incorruptibilium. nam ſi eadem: quo pacto hæc quidem incorruptibilia faciunt, illa uero corruptibilia? ſin diuerſa: utrum omnia incorruptibilia, aut hæc quidem incorruptibilia, illa uero corruptibilia?*

SED *quouis modo uelit quis diuidere, reſpondebimus ei, quòd incorruptibilium principia omnino ſunt principia quouis modo entium. nunquam enim ipſorum fœcunda circumſcribitur, & infinita operatio. quæ uero ſunt corruptibilium, non omnia & incorruptibilium. unde proxima principia corruptibilium ipſorum tantum principia ſunt: nihilo minus neque hæc omnia corruptibilia. nam circularis latio effectiuam cauſam defert ſecundum ipſum, non tamen corruptibilis eſt.*

ALIAE *quoque ſunt incorruptibiles generabilium cauſæ, quemadmodum*

quemadmodum & corruptibilis. omnino enim, ſi homo hominem generat, & Sol; manifeſtum eſt, quòd corruptibilem cauſam habet homo, & incorruptibilem. idem quoque & in equo, & cane, & quocunque horum, quæ hic ſunt. unumquodque enim ipſorum & particularem cauſam habet, & uniuerſalem: principium uero uniuerſalius corruptum iri, omnium maxime impoſſibile eſt: nunquam enim ipſa, neque alia ex ipſo generarentur.

HAEC *uero non à diuo Platone tantum, ſed etiam ab Ariſtotele recte exiſtimata ſunt. nam & æternorum principia, ut ſeparabiles, & immateriales formas, omnibus etiam applicabiles, & corruptibilium quædam principia æterna eſſe dicit. deinde, multis quidem in locis, & in ſequentibus quoque generoſe conſtruet, quòd non utique eſſet generatio, niſi eſſet aliqua eius cauſa æterna. ueruntamen deficit à paterna philoſophia, quòd in materialibus formis effectiuam quidem cauſam, aut exemplarem non præbet, ſed finalem, & applicabilem. applicabiles enim ſecundum ipſum ſunt, proxime quidem ſphæris, quæ circa ipſa mouentur, per has uero etiam mundanis omnibus. nam etiam ſecundum ipſum omnia bona appetunt. ſi autem multa ſunt bona, omnia tamen ad ea, quæ principaliora ſunt, ordinantur, & hæc ad unum ſupremum, & maximum finem omnium: ut in* XI *licet ipſum dicentem intelligere.*

EST autem omnium difficillimum, & plurimam habens dubitationem.

QVOD *quidem non iure aſpernabiles, ſed multæ conſiderationis putet eſſe opiniones antiquorum, et maxime eas, quæ ſunt de principijs, admirabitur quis ipſum de manſuetudine; quòd, multis ſubſtantijs uiſis, & intellectis, neceſſe eſt omnes ex una dependere; quam ſi quis primum ens appellauerit, puto ipſum conceſſurum. Quæcunque autem ex ſe*

quidem

quidem non dicit, ſed neceſſario ſequuntur ad ea, quæ po-nit; hæc utique dicere noſtrum fuerit.

DICIMVS *itaque, quòd non utique omnia primum ens appeterent, niſi ab ipſo ſuam perfectionem, ut fructum, perciperent. & à quo per totum æuum dependent, ab hoc etiã eſſe per totum æuum receperunt. quapropter, ſi primum ens appetibile eſt omnibus; & ipſius eſſe omnibus cauſa eſt: ipſum quidem nullum eſt aliud, quàm primum ens: ut ſit omnium entium cauſa, producens uero à ſe ipſo & ſubſtantialem numerum, & quæ ſic ſunt, & intelligibiles ſpecies. ſed quia hoc ens etſi ſit omnium entium principium, coordinatum quodam modo eſt eis; & ob hoc non omnino eſt abſque ſuſpicione multitudinis: oportet autem ipſum ſuperſubſtantiale unum conſiderare ſimplicitate, & excellentia, intelligibiliter ab omnibus entibus abſtractũ; quod proprie quidem nominare impoſſibile eſt, magis proprie uero quis ipſum unum appellauerit, quàm aliud quodcunque; quia omnibus entibus unitatis cauſa ſit, hoc eſt aſſimulationis ad ipſum: neceſſario ergo & unum, & ens præpoſuerunt Pythagorici rebus uniuerſis, hoc quidem unitatis, & bonorum omnium cauſam ipſis entibus, alterum uero ipſius eſſe & alijs ſpeciebus proprium principium præbens.*

VIDETVR *autem mihi neque Empedocles aliud quid amicitiam ipſam ſupponere, quàm ipſum unum, uerum non quòd eſt omnibus incompoſitum, ſed ut componitur interminata dualitas: quam litem ille appellat: à quibus & primum ens ſubſtitit, & intelligibilia omnia, & ſenſibilis di-*
* *ſtinctio. ſi enim unitatis quidem ipſi ſphæro, quem poſt primum ens ordinamus, amicitia cauſa ſit ſecundum hunc; multiplicationis uero & diuerſitatis & fœcundorum proceſſuum ipſa his cauſa eſt: cur non ſecundum ipſum unum quidem amicitia, ſecundum uero dualitatem ipſam lis aſſumpta eſt? quoniam & Pythagoricus exiſtens Empedocles*

quo

quomodo Orphica, aut Pythagorica principia adulteraſſet?

SI VERO *Thales quidem aquam ipſum unum dicebat, alius uero aliud quid apparentium: tulerunt correctiones opiniones ipſæ apud multos, & preſertim apud hunc, dæmonium uirum.*

ET VTRVM principia uniuerſalia ſint.

PRINCIPIA *propria, & ſuper uniuerſalia genera, & ſpecies conſiderantur, & adhuc multo magis ſuper ipſa ſingularia. ſic enim ſe habet.*

IN *materia ſingularia conſideranda. in natura uero, & anima uniuerſales præexiſtunt ſenſibilium cauſæ factæ; ipſa quidem natura ueluti maxime uictrices ſpecies habente, à quibus proxime materialia generat, & ſingularia; ipſa uero anima & has, & ante has etiam uniuerſaliores ratione præaſſumente: per quas & genera ipſa diuidens, & multitudine rationum rurſus contendens, conſiderat omnia, aſcendensq́;, & deſcendens, & totum uniuerſaliter, diuiſiue, & reſolutiue, & definitiue operans. his uero ipſis ſuperlocatæ ſunt ſpecies opificiæ. & his rurſus ſuperiora ſunt uniuerſorum principia. Et tot quidem ad primam interrogationem dicta ſint: ſi magnæ res oratione breuiſſima ſunt explicandæ.*

AD *ſecundam uero, quòd, eſſe in potentia, omnino à proprijs prouincijs excludendum eſt. eſt enim hoc imperfectū, & infœcundum, & materiæ conuenientius. eſſe uero actu, eſt eis magis proprium. niſi quòd quædam etiam, actu eſſe, dici non poſſunt, ſed ipſæ potius actus. Fuerit uero omnium principium, ſi fas eſt dicere, non ſolum ſuper ipſum eſſe potentia, & eſſe actu, ſed etiam ſuper ipſum actum.*

AD *tertiam uero, quòd hæc quidem principiorum immobilia ſunt, quæcunque æternorum ſunt cauſæ: illa uero mouentur, quæcunque ſunt inter cauſas eorum, quæ fiunt, &*

corrumpuntur, ut Sol, & ætheris circularis ambitus.

AD HAEC autem, utrum numeri, & longitudines.

VIDEBITVR *quidem ſubſtantias in his pro entibus aſſumpſiſſe. non enim profecto punctum, quod in ſenſibilibus eſt, & lineam ſubſtantiam eſſe putaret. nihilominus in ſequentibus etiam eſſentiale ipſorum inquiret.*

NOS *ergo & eſſe ipſorum, & ſubſtantiale enunciamus multipliciter eſſe, dicentes hæc. Etenim in ſenſibilibus naturæ operibus uiderit etiam quis figuram, & numerum, & ſuperficiem naturalem, & huius extrema. adhuc autem & in phantaſia noſtra, & in opinione hæc conſiſtunt, ſiue ex abſtractione ſenſibilium, ut ipſi placet, ſiue & apud nos perfecta ex ſubſtantialibus animæ ſpeciebus.*

HAEC *igitur imaginabilia, & opinabilia eſſe quidem participant, ſubſtantiæ uero non ſunt. ideo & ſub quantitate magis, aut qualitate, aut alio prædicamento reduci poſſint. ſubſtantiales uero animæ rationes, quæ hæc ipſa habent, ſubſtantiæ iam ſunt.*

SI *autem, quæ in intellectu ſunt, & in intelligibilibus, ipſorum uideat quis exempla: in primis quidem ſubſtantiarum numerum, & figuram, & ipſam magnitudinem idem uiderit enumerata. Tot proponit hic philoſophus dubia: quæ reſumens à primo, tentat ad utranque partem exercere rationes: ut oppoſitas argumentationes audientes, cum multa excuſſione & iudicio magis ſcientifico uerioribus adhæreamus. tantum igitur annotantes, quòd non ubique ordinem problematum ſequitur; tentemus iam ipſi oppoſitas rationes cum ipſo ſimul tanquam in uiam inducere; & his quidẽ ut uerum uidentibus aſſentire, ſophiſticis uero inſtare. neceſſe eſt enim, oppoſitorum, quæ ab ipſo conſtruuntur, hæc ad uerum, illa ad deceptionem reſpicere.*

Primum

PRIMVM ergo, de quibus prius diximus.

HOC erat primum ab ipſo propoſitum. *genera autem dicit nunc cauſarum ſpecies: deinde præparat prius; quòd non unius ſcientiæ eſt, omnes rei cauſas cognoſcere. quod & falſum eſt, & ab ipſius quoque opinione alienum.*

VNIVS nanque ſcientiæ, quo modo fuerit, non cõtraria principia cognoſcere?

SYLLOGISMVS *potentia talis eſt. Cauſæ ſpecie differentes non ſunt contrariæ eorum, quæ ſpecie differunt: & quæ non ſunt contraria, eorum non eſt una ſcientia. cauſarum igitur non eſt una ſcientia. Et in ſecunda figura.*

CAVSAE *ſpecie differentes non ſunt contrariæ. quæ ſunt ſub una ſcientia, ſi ſpecie differunt contraria ſunt. Sed quocunque modo ſe habeat, falſa quidem eſt omnino maiorum propoſitio. non enim, ſi contrariorum eſt una, non contrariorum non una. neque, ſi contraria ſunt ſub una, ſtatim, & quæ ſub una ſunt, contraria ſunt. uerum nec interdum, nec ſemper cauſæ ſpecie differunt: quemadmodum et ipſe in ſecundo Phyſices annotauit: quòd concurrit quandoque ſpecie & ipſe finis, & ipſum agens, ſecundum id, quod ſimilis ſpeciei eſt.*

AMPLIVS autem multis entium non inſunt omnes.

SYLLOGISMVS *talis eſt. Primæ, & optimæ ſcientiarum circa immobilia ſe habent. & circa immobilia ſe habentes omnes cauſas minime cognoſcunt: quoniam neque in immobilibus eſt efficiens, aut finalis cauſa. primæ, & optimæ ſcientiarum cauſas omnes minime cognoſcunt. In his rurſus maior falſa eſt. ſunt enim ſcientiarum ſpeculatiuæ primæ, & optimæ: harum uero ipſarum naturalis circa mobilia ſe habens non præponatur, ſed magis mathematicæ, & prima philoſophia, meliores ipſa ſint: ſed quare non omnes con-*

ſiderant ſenſibilium cauſas? quoniam dicerent utique neque habere immobilia effectiuam cauſam, aut finalem. ſed maxime quidem habent: ſiquidem etiam à principio hæc ſunt, & non caſu proceſſerunt ad entia. omne enim quouis modo ens aut principiũ eſt, aut ex principio. multitudo uero principium eſſe non poteſt. quapropter & effectiuam utique, & finalem cauſam habuerit. nam gratia boni & ſunt immobilia, & cognoſcunt; & cognoſcuntur. Deinde aliud erat, quod à principio proponebatur. non enim propoſitum erat conſiderare, an, deficiente cauſa, poſſibile ſit rei ſcientiam factam iri; ſed, ſi, exiſtentibus cauſis diuerſis, nõ una ſcientia, ſed hæ multæ conſiderantur. quod nunc non probatum eſt. Potius uero quis ad oppoſitum ex his motus argumentatus fuerit. Si enim omnes, quæ circa immobilia uerſantur, omnes inexiſtentes ſubiectis cauſas cognoſcunt, & nihil eorum, quæ ipſis inſunt, aſpernantur: etiam ſapientia omnes entis, quatenus ens, cauſas cognoſcit. Deinceps uero ratio probare conatur, quòd finalem cauſam mathematica non habent. falſum autem ſumit, quòd ipſum, cuius gratia, actionis eſt finis. non enim ipſarum actionum ſunt fines tantum, ſed multo magis ipſarum ſpeculationum. nam gratia boni, & aſſimilationis ad diuinum, & ueræ noſtræ ſalutis conſiderationem appetimus: ipſarum uero actionum finis & particularis eſt, & neque proprie finis. ſi uero geometræ non utuntur aſſignatione finis, demonſtrantes quæ per ſe figuris inſunt: mirum non eſt. neque enim ſubiectum ſibi ipſis conſiderant, ſiue ſit, ſiue non: neque finem, quoniam magnifaciunt: neque aliud ullum, præter ea, quæ per ſe inſunt figuris, magnitudinibus ue. & propter hoc imperiti utique ſint. Cui enim principium eſt, inquit, equidem noui. finis uero, & medium ex ijs, quæ non nouit. quæ machinatio eſt, talem conceſſionem aliquando ſcientiam factã iri. Atqui primus philoſophus & propter quid circulus in

ſe ipſum

ſe ipſum conſpicit, & , quid ex iis , quæ uere ſunt , imitatur ; & quæ prima figurarum . & quid in ipſis ordo eſt , unde eis omnino ipſius boni ſimul ingreditur cauſa , omnino conſiderat . Deridendus quoque Ariſtippus eſt ; ipſius quidem coquinariæ eſſe putans finem , alicuius gratia tale præparare obſonium : mathematicas uero , ad ueras concluſiones ſcientiam parientium propoſitionum deſcendentes ſemper , non mentis fœtus , & imitationes , putans oſtendere res , circa quas uerſantur . unde enim , quæ in ipſis eſt ueritus ? unde ordo , ad quem , quæ dici non poteſt , pulchritudo ſimul ingreditur ? unde ex ipſis circunductiua , & ſurſum ductiua utilitas animæ ? ſi non multo prius ab intellectu magna pars bonitatis indita eſſet .

ATQVI , ſi plures ſcientiæ cauſarum ſunt.

OPPOSITVM *aſtruit , quod & uerum eſt , unam ſcientiam cauſas omnes ſcire ipſius ſcibilis . & hoc ei placet . eſt autem ipſius demonſtratio ualde et breuis , & manifeſta . quædam uero eorum , quæ interponuntur , indigent breui examinatione . Dicit autem , ſi alia quidem effectiuam cauſam nouerit , alia uero finalem : (contingit nanque rem omnes habere) & multæ ſapientiæ erunt , & ambigent de prioribus ; & nulla ſecundum ueritatem ipſarum erit ſapientia . omnes enim imperfectæ , tanquam illæ , quibus ſit cauſarum cognitio diſtributa . deridenda enim eſt , quæ effectiuam cauſam ſcire nititur : cum neque , quid ſit res , cognoſcat ; neque , ad quid facta ſit , aut eſt . Imperfecta quoque , quæ ipſum , quid eſt , ſe conſiderare dicit : cum neque principium motus ſciat ; neque ipſum , cuius cauſa , cognoſcat . Quæ uero finem ipſum , ut putat , præaſſumpſit ; ſi neque , cuius ſit finis , neque , unde ſubſtitit res ipſa , cognoſcit , quo modo non recte aſpernabilis fuerit ? quapropter non eſt ſcientia una , quæ omnes cauſas conſiderat . hæc quidem*

continet

continet totam aſtructionis potentiam. Sed percurramus literam.

VT DOMVS, unde quidem ſit motus, ars ipſa, & domificator: cuius uero gratia, opus ipſum: materia uero, terra, & lapides: forma uero, ratio.

HAEC *aſtructiua ſunt huius, quòd omnes cauſæ inſint uni. ipſum uero, cuius gratia, & finem domus, opus ipſius dicit eſſe, hoc eſt regere nos, & conſeruare ſupellectiles neceſſarias. hoc enim eſt opus domus; & huius gratia à principio facta eſt.*

EX HIS quidem, quæ pridem determinata ſunt.

DICTVM *eſt de ſapientia in maiori α; quòd, quæ in alijs principalior, & doctrinalis magis, & quæ plurima nouit, & certiſſima. Dicit tertio, quòd ex his determinationibus nisi una cauſas omnes nouerit, ſed unaquæque unam, ambigent inter ſe ſcientiæ. optima quidem, & maxime princeps, quæ finem ipſum, & bonum conſiderat: maxime uero demonſtrans, & maxime definiens, quæ circa formam uerſatur. In actionibus uero, & omnibus, quæ mouentur, niſi quis principium motus nouerit; fere nihil rei aſſequetur. Effectiuam uero cauſam oppoſitum fini dicit eſſe: quoniam hoc quidem eſt principium motus, altera uero finis. Aduertendum autem rurſus ad proprietatem philoſophiæ ſuæ, quòd eorum ſolum, quæ mouentur, principium eſſe effectiuum putauit, eorum uero, quæ non mouentur, minime. ſed hæc quidem ex pluribus congreganda ſunt. ſed, quo pacto oſtendat ipſe, principalem eſſe ſcientiam, quæ finem ipſum conſiderat, audiemus ipſum dicentem.*

PRINCIPALISSIMA quidem, & maxime dux, & cui ueluti neque contradicere alias ſcientias æquum eſt,

eſt, quæ ipſius finis, & boni huiuſcemodi eſt.

Hvivs *enim gratia alia ſunt. nam, quatenus ſapientia hoc habet, quòd principalis ſit & domina aliarum ſcientiarum; nulla utique fuerit, quàm quæ eſt de fine, cuius gratia cetera ſunt. etenim finis ipſe dignitatem habet ductricem ad alias cauſas. cuius enim gratia omnia fiunt, illi ſeruiunt omnia, & in mundo, & in republica, & in exercitu, & in domo, & in unoquoque noſtrum. Boni uero & finis gratia omnia fiunt.*

Qvatenvs uero primarum cauſarum, & maxime ſcibilis determinata eſt eſſe.

Qvatenvs *uero, inquit, ſapientia primarum cauſarum eſt, & eius quidem maxime cognoſci poteſt; quæ formam ipſam nouit maxime, ſapientia ſit. Quo modo ergo hæc inſint ei, quæ formam conſiderat, procedens ſtatim dicet. interim uero, quòd multis res ipſas cognominibus melius hic nouit, per ea, quæ interpoſita ſunt, declarat. ſi enim nouit quidam, quodam modo etiam qui per priuationem, aut negationem dicere aliquid de re ipſa poteſt: ut, qui nouit, quòd punctum impartibile eſt, & quòd diuinum immortale; magis nouit hoc qui per affirmationem ipſum cognoſcit, & per ea, quæ inſunt ei; ut, quòd hoc quidem eſt extremū lineæ, illud uero ſemper ens per ſe ſufficiens bona entium cauſa. hoc adhuc magis nouit, qui non qualitatem rerum, aut quantitatem habet dicere, aut operationes, aut paſsiones, (omnia enim hæc poſt ſubſtantiam ſunt, & ſecunda ab ipſa ſubſtantia) ſed qui de ipſo, quod quid eſt ſubiectum, poteſt docere. omnium utique ſcientiam hic fuerit perfectiſſimus. quo pacto uero & circa primas cauſas ſe habet, audiemus ipſum aſtruentem.*

Amplivs autem & in aliis ſcire unumquodque.

SVBSTANTIAE quidem per definitiones cognoſcuntur: ideo definitiua eſt prima ſcientia. quæ uero per ſe inſunt, per demonſtrationem ſunt cognoſcibilia. ideo ſecunda ſcientia demonſtratiua eſt. quæ uero ipſam formam conſiderat omnia hæc cognoſcens, & definitiua, & demonſtratiua eſt: definitiua quidem per ſe; quoniam hoc erat, ſcire ſubſtātiam rei: demonſtratiua uero; quoniam in aſſignationibus cauſarum non prius ceſſat quis demonſtrans, quàm ad ipſum, quod quid eſt, occurrerit. non enim ſatis eſt dicere, quòd ignis quidem diſgregat nos, congregat uero, uerbi gratia, nix: ſed, propter quid ſit horum unumquodque, niſi in definitiones occurrerimus, & oſtenderimus quod hoc eſt utrique ipſorum eſſe, & igni, & niui, non erimus ad demonſtrandū idonei. quapropter illius tantum, qui formam nouit, eſt demonſtrare. Et hæc eſt prima cauſa, quæ ex ipſa definitione ſumitur: prima uero non ſecundum aſſignationem, (eſt enim fortaſſe ultima ſecundum hanc) ſed natura prima: ad quam cum occurrerit demonſtrator, quieſcit: ut, qua de cauſa ciuilis homo muſicam eſſe uult, aut exercitationem corporis in ciuitate? ut inſtruat ciues. cur inſtruit? ut ſcientes faciat. cur autem hoc? quia ſunt apti ad apprehendendam ſcientiam. quo modo autem hoc? quia rationales. cur autem rationales? quia hoc eſt ipſis hominibus eſſe. Vides ne, quòd ex primis cauſis hic ſcit? et eſt optima cauſa demōſtrationis definitio rei. Cur deficit lumen? quia obſtruitur à terra. habes ergo definitionem defectus lunaris. eſt enim defectus lunæ, luminis, quod eſt in ipſa, priuatio ob terræ obſtructionē: de qua ſi utique demonſtrationem feceris, poſitionem tantum terminorum permutas: ut ipſe in demonſtratiuis nos docuit. Et, quadrare figuram æque diſtantium linearum rectangulum; nil aliud eſt, quàm inuentio mediæ lineæ. nam, ſi ſit longitudo fortaſſe nouem, latitudo uero quatuor, erit ſpatium quidem 36, cum inueneris mediam proportionalē

ipſis

ipſis nouem & quatuor, & b, ad ipſa deſcribis quadratum æquale æquidiſtantium linearum. quòd ſi etiam, quid eſt, quadrare, dicas; non aliud quid dices, quàm medium proportionale inuenire. aut ſiue oſtenderis, quòd quadratum ſit; ad hanc, & non ad aliam, primam cauſam occurres. ſic, quæ formam ſcit, ſola & definit, & in alijs, hoc eſt per ſe inhærentibus, ſolum demonſtrat.

CIRCA generationes uero, & actiones.

NECESSARIA *maxime per hoc effectiuæ cauſæ cognitio in agibilibus, & omnino mobilibus demonſtratur. qui enim primum mouens ignorat, neque utique formam, neque finem ipſum rei nouerit. Denique, ſæpe ſuffecit nobis, quòd Socratis eſt actio, aut Pythagoræ; ut perſuadeamur, quòd bona ſit, & prudens, & utilis.*

QVAPROPTER alterius utique ſciētiæ uiſum fuerit.

SI SIC *ſcribatur, ut ad inconueniens ipſum ſermonem deducentem audiemus: ac ſi diceret. quapropter alterius & alterius ſapientiæ eſſe uiſum fuerit, unamquanque cauſarum ſcire. quod idem eſt illi. quapropter multæ ſapientiæ, & non una omnes cauſas cognoſcit. Si uero non alterius, ut indicat potius Alexander; ut communiter ipſum recte concludentem intelligemus, ac ſi diceret: quapropter, quoniam, quæ cauſam cognoſcit, ſapientia eſt, non alterius et alterius ſcientiæ eſt cauſam conſiderare, ſed unius.*

AT VERO de demonſtratiuis principiis.

CVM *dubitauit de cauſis entis, ſi unius eſt ſcientiæ ipſorum omnium cognitio, aut alterius, & alterius; nunc ſecundum expoſitionem problematum interim procedens quærit ſecundum; ſi eiuſdem eſt, principia entis, & principia demonſtrationum ſcire; aut, alterius quidem hæc, alterius uero illa. & argumentabitur ad utrunque. Nos uero, quòd eiuſ-*

dem quidem ſit, prædiximus: oppoſitum uero probantibus rationibus nunc afferre redargutionem tentabimus, ſecundum ipſius propoſitum.

DICO autem demonſtratiuas communes opiniones.

IN *his & exponit, quæ ſunt demonſtratiua principia, et problema ipſum manifeſtius terminat, & ſubdiuidit alterum ex oppoſito diuiſorum, ut aliud appareat per diuiſionem. Demonſtratiua igitur principia cõmunes conceptus enunciat eſſe, non ſcilicet quatenus diſponunt nos, aut ad actiones mouent: omnia enim finem ſuum appetunt ex communi conceptu. quem profecto ubi non aſſequuntur homines, & ex ſe ipſis potiri minime ualent, confugiunt ad diuinum: à quibus moti (ut ipſe etiam dicit) ſcire appetunt natura. hæc igitur non fuerint demonſtratiua principia, ſed quatenus ad demonſtrationes ipſis utimur, appellantes quidem dignitates, quia apud omnes ſic aſſumptæ ſunt; cognitionem uero ijs, quæ demonſtrantur, manifeſtiorem ipſorum habentes: quarum unum eſt & id, quod eſt de contradictione. Cum uero ab antiquis duo de ipſa exiſtimata ſint, unum quidem, quòd ipſam nihil effugit, ſed omne neceſſe eſt affirmatiue ſignificari, aut negatiue, ita ut in nullo aberrent utræque propoſitiones, ſed ſit altera uera, alterum uero, quod impoſſibile eſt, ipſas ſimul eſſe ueras: utitur quidem ipſe nunc utriſque: nos uero tantum annotamus, quòd, ſecundum quidem etiam ſimpliciter uerum eſt, primum uerò cum determinatione. nam in entibus, & ſcientia comprehenſibilibus neceſſe eſt omne affirmare, aut negare: quoniam, ſi quid extra ipſum eſſe eſt, & neque nomen, neque ſcientiam habeat, neque omnino dici poſſit; quo pacto neceſſe eſt hoc affirmationem, aut negationem recipere, de quo omnis oratio falſa ſit? Sed hæc quidem alterius utique ocij fuerit profundius*

fundius perſcrutari. etenim alias inſtantias habet apud eos, qui non ignoranter ipſa utuntur. Hæc dignitas. Nunc uero, cum dicat Ariſtoteles, & quæcunque aliæ huiuſcemodi propoſitiones, ſubijciemus ſermoni & illam, quæ dicit, omne appetibile bonum eſt: & illam, nihil fruſtra agere naturam, neque multo magis ipſum Deum: nullam ſubſtantiá ex non ente fieri: neque in nullatenus ens corrumpi: omne, quod mouetur, circa aliquod ſtans moueri: amplius & illas, quæ ſunt geometrarum, & arithmeticorum, & quæ ſunt aliarum ſcientiarum dignitates; de quibus omnibus non alius quis, ſed qui cauſas cognoſcit, conſiderat. ſi enim alius: (hoc quippe Ariſtotelis eſt) neceſſe eſt, deinceps dubitare, uter ipſorum eſt, qui nunc quæritur, ſapiens.

VNIVS igitur eſſe, non eſt rationabile.

INCIPIT *aſtruere alterum oppoſitorum; quòd non eadem ſubſtantias cognoſcet, & dignitates. quod eſt falſum. Videamus ergo, in quo faciat nos uacillare ſyllogiſmus. Si enim, inquit, eodem modo ſe habent circa demonſtratiua principia; aliæ uero ipſas neſciunt, neque, quæ circa ipſum ens uerſatur, hæc cognoſcere uiſa fuerit: ſanum quidem eſt connexum: ſed uideamus aſſumptum. Atqui omnes eodem modo ſe habent circa ipſum, & demonſtratiua principia, ſolùm ipſis credentes, etiam quæ proxime quidem ab intellectu has recipit ſapientia, melius uero, quàm per demonſtrationem, ex alto ipſas ſpeculans, & ueritatem ipſarum, & ordinem, & proceſſum ab intellectu conſiderans. Et hæc dico de uniuerſalibus dignitatibus: quoniam, quo ad hanc quidem artem, dignitates ſunt, non ſunt autem ſimpliciter primæ ſecundum naturam. & demonſtrabit ipſas qui ipſam ſubſtantiam cognoſcit: etſi indemonſtrabiles ſint particulari artifici: unde & geometrica principia ille demonſtrat. quo modo ergo eodem modo cum alijs ſe habet circa ipſas? aut quo mo*

do, hoc non conceſſo, proceſſerit unquam paralogiſmus, ad quod tendit concluſio?

SIMVL uero & quo pacto erit eorum ſcientia.

PRIVS *quidem ratio aſtruere conata eſt, quòd nulla ſcientia principia demonſtratiua nouit: nunc uero, quòd inſcibilia ſunt. Videamus ergo, in quo etiam hic ſyllogiſmus tentat decipere. Non ſunt, inquit, demonſtrationum principia cognoſcibilia, niſi quatenus cognoſcimus quidnam ſignificent. hoc uero non facit de ipſis ſcientia. ſi uero ſunt ſcibilia, etiam demonſtrabilia ſunt. Si uero demonſtrabilia, etiam unum habent ſubiectum, ut numeri demonſtratiui exiſtentes, unum habent ſubiectum, cuius hæc quidem paſſiones ſunt, ut par, impar, & horum complexiones, multiplicationes: diuiſiones quidem & demonſtrabiles ſunt ab arithmeticis, illæ uero dignitates, ut horum definitiones. non enim poſſibile eſt de omnibus eſſe demonſtrationem, ut oſtenſum eſt in poſterioribus reſolutorijs. ſi autem hæc uincunt, omnes demonſtratiuæ circa ſubiectum unum ſe habebunt ipſarum dignitatum: quod eſt abſurdum. nam quemadmodum arithmetica circa omnes numeros, & geometria circa omnes figuras, ſic unaquæque demonſtratiuarum circa omne ſubiectum dignitatum. ſumpſit ergo ex illo quidem uerbo, ſcibilis, quòd & demonſtrabiles: quod eſt falſum: ex illo uero, demonſtrabiles, quòd habent omnino ſubiectum: quod & ipſum eſt falſum. aliter enim res dicuntur demonſtrabiles, & aliter orationes, & propoſitiones. ſi uero ſubiectum habebunt dignitates; paſſiones, & dignitates circa ipſas apparebunt: quapropter erunt & dignitatũ dignitates. hoc uero abſurdum ab ipſo non ponitur, ſed omnino ſequitur ad dicta, et quod ad hoc ſequitur, ſcilicet dignitates, ſi ab alijs dignitatibus dependent, non eſſe dignitates: cum hoc, quòd etiá in infinitum nos procedere non probi*

bemur.

bemur. Rurſus etenim hæ ſunt dignitates: quapropter & hæ indigent dignitatibus: & hoc in infinitum. quid ergo mirandum eſt, ſi hoc pacto abſurda cõcedantur, omnes ſcientias circa unum dignitatum ſubiectũ uerſaturas? ſed quod quidem nec demonſtrabiles ſint propriæ dignitates, etſi ſcibiles ſint ſecundum primam ſcientiam, quæ circa immediatas propoſitiones uerſatur? quæ cum ipſo & ipſum propter quid comprehenſum habent tanquam proxime ab intellectu procedentes, & intellectum reflectentes, & diuidentes, & exire facientes. neque, ſi eſſent demonſtrabiles, unum utique ſubiectum haberent, præordinabiles exiſtentes, & in ſublimi ambulantes. & deinceps quoque, quo modo uerum ab ipſo aſtructum ſit, ſpeculemur.

At uero, ſi altera ſit, quæ de ſubſtantia, & quæ de his.

SI NON *idem rerum principia nouit, & demonſtrationum, ſed alius, et alii; imperfectus quidem uterque ipſorum erit, alter quidem neſciens demonſtrare, alter uero inanes ſyllogiſmos amplectens, tanquam rerum naturam ignorans. dubitabunt etiam de prioribus. magna enim eſt dignitas, & quæ demonſtratiua principia omnium maxime comprehenſiua conſiderat: et quem oportet uocare, ſi non eſt idem cum ſapiente, tandem dubitabimus. quod igitur eadem methodo probauit cauſarum omnium ipſius entis ſcientem eſſe ſapientem, unum exiſtentem; & quòd demonſtratiua principia, qui de illis meminit, ſciet. quod uero per minima ſufficienter ab illis oſtenſum, uerum eſt licet conſpicere. Si enim diuiſio cognitionum imperfectas utraſque ſcientias, & deridendas, et quæ ſimulant ſcire nõ ſcientes, et adhuc diſſentire, et ambigere de primis; alterum uero ipſarum, quæ conatur omnia complecti, proprijs adiectionibus fere innominatam oſtendit. quo modo nõ tutiſsimam unio ſcientiarum auctoritatem*

tatem recipit? & ſi principia demonſtrationum omnibus ſcientiis altera ipſarum monſtrat; quænam alia fuerit, quàm prima philoſophia, & quid circa ens, quatenus, ens, uerſatur? hæc enim intellectum imitata, apud quem & intelligibile, & intellectio non ſunt diſtincta. intellectus quidem per cognitionem dignitatum aſsimulabitur; intelligibile uero per ſpeculationem ipſius entis. Si autem deficiet in altero, erit intellectus imitatio alterum habentis, aut intellectionem ſine intelligibili, aut intelligibile ſine intellectione. quod idem eſt, quod intellectum ignorantem imitari.

OMNINOQVE ſubſtantiarum una omnium eſt.

QVAERIT *quidem, ſi circa omnem ſubſtantiam una erit ſcientia, intelligibilem, & ſenſibilem; & ſi aliquā ſit harum media, aut plures erunt multiplicatæ ſecundum ſubſtantiarum differentias. hoc autem erat & in propoſitis, quod tertiam dubitationem protendebat. Breuis igitur, & uerißimus etiam ipſi Ariſtoteli de his occurſus eſt, quòd una quidem eſt, quæ ſuprema; multæ uero, quæ proximæ; & una quidem eſt omnium, quæ ens, quatenus ens, conſiderat; multæ uero, quibus partes huius ſunt diſtributæ, & quæ aliter ipſas, & non quatenus entia, pertractant. quo modo autem ipſe ad optata nunc argumentatur, intelligemus.*

SI ERGO non una.

SIQVIS, *inquit, aliam quidem circa has ſubſtantias, aliam uero circa alias ſcientias ponet; dubitabit, circa quam ſubſtantiam uerſantem ſapientiam uocabit. Dicemus igitur, quòd maxime quidem una omnes ſpeculabitur. Si autem & alia; non obſcurum eſt, quòd quæ circa primas & intelligibiles percepta eſt, hæc eſt prima ſcientiarum: unde & nunc, & ſi omne ens, quatenus ens, conſideret*

deret, circa ipſum intelligibile uult plurimum & optimum ſtudium exponere.

VNAM uero omnium, non eſt rationabile.

TRANSIT *ad oſtendendum, etiam ad optatum ſequi aliquod difficile. uideamus autem, quid eſt, quod dicitur, aut cur non eſt rationabile.*

ETENIM ſi demonſtratiua una de omnibus ſit accidentibus.

QVID *hoc abſurdum? etenim ſi ſunt multæ demonſtratiuæ, ut geometria, aſtronomia, & arithmetica, & aliæ plurimæ, ante has tamen omnes eſt una, quæ per ſe accidens enti, quatenus ens, conſiderat. quæ autem ſint, hæc in tertio ipſe dicet manifeſtius. arithmetica enim, quæ per ſe numero inſunt, demonſtrat; & geometria, quæ figuris. illa uero una demonſtratiua, que per ſe inſunt omni enti, demonſtrat, non quatenus tale, aut tantum eſt. ſed quatenus ens. quapropter, nihil abſurdum ſequi, aſtruere tentabit.*

SIQVIDEM omnis demonſtratiua circa aliquod ſubiectum.

RATIO *huiuſcemodi eſt. Si una circa omnes ſubſtantias ſit ſcientia; una omnium erit eorum, quæ per ſe inſunt omnibus ſubſtantiis, & demonſtratiua, ſiue eadem ſit cum ea, quæ circa ſubſtantias uerſatur; ſiue altera; (nondum enim de hoc) ſed quòd una erit, & demonſtratiua. hoc, inquit, oſtendo. oſtenſio uero huiuſcemodi eſt. Circa quodcunque ſubiectum, quod una aliqua ſcientia conſiderat, circa hoc & demonſtratiua una uerſatur, quæ per ſe inſunt illi ſubiecto, demonſtrans ex communibus conceptibus, quæ ſunt omnis demonſtrationis principia. non enim ipſum ſubiectum, id eſt ſubſtantiam una conſiderat, ſed ex quibus hoc eſt. quæ uero per ſe inſunt, ex quibus & definitiones, & ſubiectum ipſius rei eſt, multæ conſiderant, ſed una, & demonſtratiua eſt: ſiue eadem ſit cum ea, quæ eſt circa quod quid, ſiue*

altera; niſi quòd, una exiſtente hac, una eſt et ipſa. Si igi*tur omnes ſubſtantias una conſiderabit, et unum ſubiectum genus; etiam omnia, quæ per ſe inſunt, una aliqua demonſtratiua comprehendit, ſiue eadem exiſtens cum ſapientia, ſiue diuerſa. hoc enim in ſequenti problemate dijudicabitur. Illud uero, quia & accidentia ſunt, ſiue eædem conſiderabunt, ſiue ex his una huiuſcemodi eſt. quapropter & quæ per ſe ita ſunt, ſi quidem multæ ſint, quæ ipſas ſubſtantias norunt, omnes demonſtrabunt demonſtratiuæ. ſi uero una ſit una demonſtratiuarũ, omnia conſiderabit. et ſequitur hoc omnino: etſi non una aliarum demonſtratiuarum ſit ſapientia ab omnibus abſtracta. nihil autem eſt abſurdum, unam, quæ per ſe inſunt cuilibet enti, quatenus ens, conſiderare.*

AMPLIVS, utrum circa ſubſtantias ſpeculatio ſolum eſt.

HOC *quidem quintum eſt in problematum expoſitione: nunc uero poſt tertium non ſine cauſa uidetur mihi aſſumptum eſſe, ſed quia in tertio hoc ualde ambigue poſuit. Siue enim, inquit, eiuſdem ſit, ſiue alterius; uoluit ſtatim de hoc principalem ſermonem facere. Dictum eſt quidem in problematibus abunde de ipſo, et quòd, quæ cognoſcit ſubiectum, & quæ per ſe inſunt, oſtendit omnino. etenim neque quod inducit nunc, deſtructiuum huius uim aliquam habet: dicit enim ſic.*

SI ENIM eiuſdem demonſtratiua aliqua fuerit etiam ipſius ſubſtantiæ.

AD QVOD *dixerim utique, quòd ipſius, quid eſt, non demonſtratio. eandem uero & definitiuam eſſe et demonſtratiuam nihil prohibet: definitiuam quidem ipſius, quid eſt, demonſtratiuam uero accidentium per ſe. eiuſdem enim eſt, quid ſit mundus, & ſol, & luna, conſiderare, & de æternitate*

tate ipſorum & operationibus demonſtrare.

SI AVTEM alterius, quæ erit conſiderans circa ſubſtantiam accidentia.

ET VERE *inuentu difficillimum. ſi enim demonſtratiua per ſe accidentium uſque ad primam cauſam, & ipſum, quid eſt, aſcendit: omnino erit & definitiua. Dicendum eſt autem, quòd proprie quidem demonſtratiua huiuſcemodi eſt, tamen iam & alia eſt ex ſuppoſitione demonſtrans, quæ non aſcendit ad ipſum, quid eſt, ut aſtronomia multa. ideo nec dicere habet de ſubſtantia apparentium aſtrorum, ut ex omnibus illud tantum uigeat, quod iam prædiximus, quòd, quæ quidem eſt circa ſubſtantias, etiam demonſtratiua eſt. non omnis uero demonſtratio aſcendit ad definitiuam ſcientiam, ſed quæ utique habet definitionem, ut principio ipſa utitur credibiliter.*

AMPLIVS, utrum ſenſibiles ſubſtantias.

HOC *quartum in problematibus ſtatuit. reſpondimus autem in illis abunde ad ea, quæ nunc proponuntur. ideo de ordine hoc tantum annotantes, quòd forte hoc debebat tertium ordinari; tranſeamus ad deprehendendas falſas ratiocinationẽ deſtruentium plures ſubſtantias argumentationum. Cum utique primum probabile fuerit, ſi omnes cauſas entis conſideraт ſapiens; ſecundum autem; ſi circa demonſtratiua principia: tertium certe iure quis intulerit, ſi multæ ſubſtantiæ ſunt, quod nunc quærit. poſt quod eſt quartum, ſi multarum ſubſtantiarum una eſt ſcientia. ſed & eorum, quæ per ſe his accidunt. ſed hæc quidem quocunque modo quis uelit iudicet. deinceps uero tranſeamus ad ſequentia.*

VT IGITVR dicimus ſpecies.

REMITTIT *nos ad ea, quæ in maiori a dicta ſunt. Deri-*

dendi igitur etiam hoc pacto ſunt, qui librum illum ſpurium faciunt. dictum autem eſt in illis, Platoni quidem placens nihil, aut minimum quid. quæ autem ipſe ſupponens, dixit ualde inaniter, & dialecticæ.

MVLTIS autem modis habentibus difficultatem.

SED *ego quidem dixi. Viri illi in omnibus putant ſpecies differre ab his, quæ hic. has enim ſubſtantias eſſe diuinas impartibiles ad ſe ipſas conuerſas, fabricatorias cauſas eorum, quæ hic, & eodem modo ſe habentes: hæc uero omnem ſuſtinere mutationem, & mortalia quædam ipſorum eſſe, & operata, & circa generationem, quæ in tempore uertitur, uerſari, illas quidem intelligibiles, & impartibiles, & ſuimet exiſtentes, & hoc ipſum omnibus mundanis præbens ſubſtantiam, actiuo, & opificio, & prouiſorio, & cognoſcitiuo, ab omnibus formis, quæ apud ſe ſe parabiles ſunt, differentes: hæc uero diſſonantia, & partibilia & ab altero mobilia, & entium ultima, & infœcundiſſima * uideris autem non ipſe. ſed ut præter mediocritatem deceptionibus ab æquiuocatione utens. non enim, quia homo hic eſt, etiam ibi idem homo eſt, æternitate ſolum differe, ille ab hoc putatus fuerit: ſed omnibus quidem, quæ diximus, immo & pluribus alijs, quæ prætermiſimus, miratus etiam quis fuerit, in his Alexandrum ipſum, probantem quidem eum multa promptitudine ea, quæ nunc ab Ariſtotele dicta ſunt; ſe ipſum uero latentem, quòd repugnantia loquitur philoſophus. nam ſi uniuocus eſt homo, qui hic homini, qui ibi eſt, ut eſt Alexandri ſermo; neque utique æternitate differret ab eo, qui hic eſt. nam in ratione hominis, qui eſt hic, mortale ineſt: & quibns ineſt mortale, & corruptibile, omnino ineſt non per accidens, ut ipſe philoſophus in hoc ipſo negocio manifeſte demonſtrauit. quapropter non recte hoc Ariſtoteles, ſecundum Alexandri ſermonem. ſed, hæc quidem*

quidem ipſos ex animi ſententia diſputaſſe uiros, non puto, qui tam ualde in differendi ratione excelluerint: quia Platonis diuina dogmata non lædunt: quemadmodum nec à Thracibus emiſſæ ſagittæ ad deos perueniebant. ſed ad ſequentia procedamus.

AMPLIVS autem, ſi quis præter ſpecies.

VIDEAMVS *autem, & quæ, & quot, & quo modo habentes ſolutionem.*

MANIFESTVM eſt enim, quòd eodem modo & lineæ præter ipſas, & præter ſenſibiles erunt, & unumquodque aliorum generum. quapropter, quoniam aſtrologia una horum eſt, erit aliquod cælũ præter ſenſibile cælum, & Sol, & Luna, & alia ſimiliter, quæ in cælo ſunt.

ET *quid abſurdum eſt eſſe hæc & intelligibilia, & cogitabilia, & ſenſibilia? quo pacto autem non eſt, naturam eſſe quid in opifice cauſam cæli, & ſolis? eſſe autem in animabus aſtrorum uerius cælum, & ueriorem ſolem apparentibus, eſſe autem & hæc ipſorum ſenſibilia receptacula. Quid etiam putandum eſt aliud Platonem dicere? cum & ſuper cælum de aſtris conſiderare. ſublimem enunciat? & rurſus multas eſſe beatas deas & exitus intra cælum. quas deorum genus bea* ✻ *torum mirari eſſe. aſtra quoque putare eſſe ſuper hoc ipſum cælum, aut, ut conſuetius dicam, intelligibiles aſtrorum uitas: quarum inconfuſam unionem, & indefitientem communicantiam, et ad intelligibiles ſubſtantias coniunctionem conſiderare, eum ſapientem, qui apud ipſum eſt, cælum etiam intelligibile aliud præter hoc ipſum apparens, cuius ſpeculamina, & exitorias ſpeculationes eſſe mundanorum deorum, & dæmonum. quapropter hoc ualde recte dictum eſt, quòd præter ipſas ſolas lineas,*

hoc eſt præter intelligibiles, & adhuc præter ſenſibiles erũt quædam lineæ mediæ: ſed & cæli, & ſoles multipliciter. Interim autem ſaltem tripliciter eſt intelligere. omnino enim, ut inquit diuinus Plato, intellectum quidem animæ, animã uero in corpore componens, Deus omne mundanum animal intelligens & animatum inuexit. omnia igitur, quæcunque in apparenti cælo ſenſibiliter & dimenſiue conſpiciuntur, ſecundum animam quidem in immaterialibus rationibus, & uniuerſalibus erunt, ſecundum intellectum uero in ſpeciebus maxime impartibilibus, & intelligibilibus. Hic uero admiranti aſſimilatus etiam, quæ ſequuntur, ſcribit.

ET SI quo pacto hæc oportet concedere.

CVR *eorum, quæ mouentur, non eſt æquum immobilem eſſe cauſam? immo, quo pacto non neceſſarium? Aut hoc quidem concedimus, ſed ad id, quòd non eodem modo ipſa nominetur cum operatis, repugnamus. et quidem in immaterialibus ipſi conceſſimus, ex immateriali domo materialem domum affirmantes fieri. opus eſt autem, ad uſum aduertere theologorum: apud quos multorum quidem cælorum proceſſus, multorum quoque ſolium, & multorum aliorum traduntur. cur autem, & mobilem, omnino impoſſibile? niſi quia corporeas ſecundum mutationem conſueuimus motum nominare: quoniam opificium & intellectualem motum quis non dederit uere entibus?*

SIMILITER autem & de quibus perſpectiua tractat.

DICIT, *quòd, neque motum eſſe, rationabile eſt, neque mota. nos uero etiam tunc dicebamus, quòd & immobilia corporeo motu, & motu uitali neceſſe eſt eſſe. et nunc quoque ſuauiſſime hoc ipſum interrogauerim, utrum neque oculum concedat nos habere alium præter huncce ſenſibilem oculũ.*

oculum quidem eſſe concedit, ſed non habentem potentiam aſpectiuam, aut uiſiuam propriarum ſpecierum. Sed & hoc quidem non ſubſiſtentia eſſe intellectus ſpeculatiua. & quo modo non erit ipſo ſenſu præſtantiſſimus noſter intellectus infelicior, ſiquidem ille quidem ad entia coordinatus eſt, huius uero non ſubſiſtentia ſpeculatiua ſunt? Si uero hoc abſurdum eſt; & eſt oculus noſter intellectualis, et potentia illius oculi aſpectiua: erunt & ſpecies coniuges, huic potentiæ uiſiuæ, immobiles quidem motu corporeo, motæ uero intellectuali operatione. Sed ipſarum muſicarum rationum, quas Deus animæ tradidit ad apparentem diſtinctionem, nunquid nullus eſt ſpeculator? immo ipſarum muſarum, & ipſis procedentis harmoniæ, nonne omnes mundani Dei participes ſunt, ut inquit Homerus, pleni muſarum, quæ cantu permutantes uoce pulchra, omnia autem entia participant. Cur igitur non erunt & alia harmonica? Si autem hæc Platonica dixerint, hi mordaces uiri, & iracundi; unus tamen contextus intelligibilium apud te ſpecierum qui ad primum bonum eſt, & perficitur ad ſpeciem intelligibilium, quæ eſt in ipſo; quo pacto non eſt harmoniarum pulcherrima & diuiniſſima? circa quam philoſophus uerſans harmonica utique admirabiliora muſicis, quæ hic ſunt, pertractauerit.

SI ENIM ſunt ſenſibilia intermedia.

NEC *ſenſibilia ſunt intermedia, ſi æquiuoca ſunt ipſis ſenſibilia: nec ſenſus ipſis coniuncti ſunt: ſed intellectiones rationibus exiſtentibus immaterialibus. neque intermedia eſſe intelligibilium animalium, & ſenſibilium; quæ in rationibus uniuerſalibus animæ ſunt, aut ſpeciebus naturalibus alia animalia, recuſauerit quis concedere. quapropter uera ſunt quæ ſumuntur: nec, quod ex ipſis ſequitur, eſt abſurdum.*

Dubitauerit

Dvbitaverit autem quis & circa quæ entium oportet quærere has ſcientias.

Hoc quidem recte quærit. etenim uere dubium eſt, quas ſcientias earum quæ hic dicamus magis exemplares: tamen reſpondemus ei, quòd earum, quæ circa naturales ſpecies intellectionem habent, aut rationes, aut numeros naturales, neceſſe eſt antiquiores eſſe his, quæ hic quæ circa immaterialia horum exempla uerſabuntur.

Si enim in hoc differret à geodeſia geometria ſolũ.

Sed *non hoc ſolo differt geodeſia & geometria, ſed quòd & hæc quidem humanam indigentiam coniectatur, & ad utilitatem reſpicit mortalis uitæ, & chirurgiam, hoc eſt manuum operationem, attingit, & dantis uere intellectum non pertractat ſenſibilium animam, & expurgat huius oculum, & circunducit ad intellectionem remouens à craſſiori & formabili materialium contextus, à tota uero hac dicantur differre quid ergo ſequitur? & medicinam aliam quandam præter diuinam medicinam eſſe, & præter eam, quæ mortalium corporum. Sed ego quidem niſi etiam ante omnem probationem hoc concederem, mei ipſius pudore afficerer. Sit enim Pæon, hoc eſt Apollo, aut ſiquis uelit dicere ſeruator Aeſculapius, qui diuinam medicinam habet, qua dijs, & animabus, & corporibus, his quidem ſemper conuenientem diſtribuit menſuram, his uero cum ſuſceptiua fuerint. Sit uero & qui apud nos medicus eſt, qui mortalium corporum curam facit. nunquid igitur, quæ ſic ab inuicem diſtant, communibus quibuſdam, terminis non ſunt coniuncta? & nunquid utique apud Deos ſit, & apud nos ultime, neceſſe eſt conſiderare & in angelicis, & dæmonicis, & heroicis ordinibus, & adhuc in animabus ſolutis à uita mortali. Cur etiam depuratiuam paſſionum philoſophiam non interpoſuerit quis inter diuinam iuſtitiam, quæ*

medicina

medicina ſit omnis mundanæ uitioſitatis, & humanam medicinam, quæ circa ſolam curam uerſatur generabilis & corruptibilis corporis? quapropter nullum utique crimen fuerit & ſanatiua huius ſpeculamina, & ſtudia media eſſe inter menſuras iuſtitiæ, in quibus eſt per ſe ſanatiuum, & eas, quæ multis notæ ſunt. ſed nos non exempla eorum, quæ hic, ſed ipſa, quæ in ultimis apparent, quærentes in tranſmutationibus rerũ, & non inuenientes, merito dubitamus, ſiquid huiuſcemodi eſt in primis, & medium ex entis generibus. Si ergo omnium artium oportet exemplares cauſas reponere, aut omnium quidem ex illis principia ſunt, tota uero conſtitutio earum, quæ ad uitæ mortalis indigentiam conferunt, ex foecunda animæ ratione proceſſerunt. quæſitum eſt & ab antiquiſsimis philoſophorum Pythagoricis, ſcilicet Parmenide, & Platone & ijs, qui poſterius illorum ſpeculationem explanarant, Plotino, Iamblicho, et Porphyrio: quod tamen etiam reſpondentes in dijs eſt intelligere. declarant & theologi, qui Cyclopas, et Vulcanum fabros appellare non negligunt, neque Mineruæ & Proſerpinæ ſutoriam aſcribere. non ſtatim autem eas, quæ congruenter conſiderantur, etiam exempla earum, quæ hic dicimus niſi quæ hic ſecundum illas faciant, & ad illas non perueniant, & illis aſſimilentur.

SIMVL autem neque hoc uerum eſt, quòd geodeſia.

MAXIME *quidem ipſe ſuppoſuiſti, corruptibilium ipſos dicere eſſe geodeſiam, & non ſcimus hoc apud ipſos poſitum. poſtea quæ neceſsitas coruptibilium artes cum ipſis corruptibilibus corrumpi? ſimile ac ſiquis diceret, corruptibilium definitiones ſimul cum deficientibus corrumpi. Sed illud puto, ſeruata ſpecie, etiam ſi ſingularia ſint mortalia, neceſſe eſſe & definitionem ſeruari, ſiue quis ipſam dicat, ſiue non. hoc quippe & in artibus. ſeruantur etenim hæ, etiam*

ſi de

ſi de corruptibilibus rebus prouiſoriæ ſint uniuerſalibus rationibus poſitæ: quæ ſi ſint propoſitæ ab animalibus generalibus, neceſſe eſt, permanere & tales artes. etenim aliter dicere corruptibilium eſſe, aut corruptibilibus prouidere aut de corruptibilibus operari, & quod quid eſt in corruptibili, neceſſe omnino eſt cum ſubiecto corrumpi. quod autem de corruptibilibus operatur, non neceſſe eſt hoc corruptibile non amplius eſſe, aut ocioſum eſſe. operabitur enim rurſus circa aliquid, quod eſt eiuſdem ſpeciei cum eo utitur enim uiuerſali ratione.

AT VERO fuerit magnitudinum.

ETSI *non ſenſibilium magnitudinum aſtronomus eſt conſiderator; circa aſtra autem uerſatur, & cælum, & horum motus: quo modo non ſunt alia aſtra, & aliud cælum & aliæ circulationes, circa quas aſtronomus uerſatur? qua propter non aduerſus induentes plures ſubſtantias eſt hæc argumentatio, ſed potius opitulatur eis. ueritas tamen hoc pacto ſe habet. Hoc quidem cælum aſtronomus conſiderat, ſed tanquam uniuerſales quaſdam rationes habens imagines ſpecierum, quæ operatæ ſunt ipſum cælum, coniungit his, quæ uidentur immateriales, et uniuerſales rationes: & ex hoc oſtendit quæ per ſe cæleſtibus inſunt. ſed ecce. quòd etſi uita ſit plenum, & diuina et opificia potentia cælum ipſum, tamen ob molem & dimenſum res ipſas particulariter recipit. cum enim in nobis ſit una ratio, quæ omnes in ſphæra maximos circulos biſariam ſecat, quæ eſt imago rationis, quæ ipſum uniuerſum ſimul cum hoc ſubſiſtere facit: cælum ipſum ſic, quod in Zodaico & æquinoctiali hoc ſuſcipit: ſi uero in meridiano & orizonte. ſimul uero, & in uno omnem recipere rationis potentiam, corporis natura non permittit. hoc certe & in aliis à me ſit dictum. Si uero cum eo, quod ſeorſum, & non ſimul, nec ſic accurate recipit,*

ut

ut præbet ipſum agens, & ut conſiderare poteſt, id quod proxime à patre procedit: nihil mirandum eſt. Sed illud, quod ad Protagoram & omnes, qui geometriam uitupe-rant, & qui ſola ſenſibilia dicunt eſſe, dicendum eſt: uerum quæ in cælo & omnino ſenſibili rotunda & recta accuratius ſint, quàm quæ geometra conſiderat. ſi enim quæ in ſenſibi li, numerandum quo pacto, quæ non conueniunt definitioni bus, conuenientibus meliora ſunt, & certiora; & quæ ab ipſa regula ut non rotunda redarguantur, ijs, quæ ab ipſa regula teſtimonium habent. de prioribus dubitatur. ſi au-
* *tem quæ à geometra conſiderare & immaterialitate, & puritate, & certitudine & ueritate ſuperant, quo pacto non utraque demonſtrantur, & quòd circa ueneranda & præſtantia genera uerſatur geometra, et quòd meliora ſunt, & diuiniora quæ in cælo præexiſtunt exempla, & in intelle ctu opificis, & tota anima: quorum certe & imagines noſtra conſtitutio habens, conſiderat & ea, quæ in uniuerſo ſunt, per uniuerſaliores rationes amplectens: & principalioribus ſui ipſius cauſis, ut per imagines eorum, quæ in ipſa ſunt, ad archetypam ſubſtantiam, hoc eſt exemplarem, remiſſa. Deridendum quoque eſt, aſſumere ad geometræ redargutionem, aſtris puncta non exæquari. neque enim aſtronomi puncta aſtra dicunt: neque geometra geſtit talia puncta accipere, quæ omnino ſunt in ſenſibili. ſi autem oportebat omnino hoc pacto geometras arguere, quòd ea, de quibus dicunt, non appareant in ipſis ſenſibilibus: oportebit polos ipſos aut centrum uniuerſi annotare. ſed hæc quidem prætermittantur. quam uero ultimam opinionẽ dirigit Ariſtoteles inducentium plures ſubſtantias, conſideremus.*

Svnt autem quidam, qui dicunt.

Dicentes *medium quidem eſſe aliquid inter ſpecies intelligibiles & ſenſibiles, eſſe uero naturam hanc mediam in*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ultimis & materialibus ſpeciebus, ſiquidem omne medium dicant eſſe in ſingularibus ſenſibilium, omnium conſenſu errant. ſi uero cum multis modis uniuerſalis, uerbi gratia homo & ſol conſideretur, & hic quidem ſit in natura uniuerſi, ille uero in natura mundana, tertius uero in noſtris animabus, eſſe quendam dicant communem hominem etiam in Socrate ordinatum, etiam ſolem ipſum: etſi unus ſit, habet tamen totius ſpeciei qualitatem. nihil mihi peccare uidentur, quoniam cum ipſius rei ueritate etiam ex ipſius philoſophia motos eſt ſæpe intelligere: quod eſt commune in ſingularibus. Stoici quoque communia qualia in proprijs qualibus reponunt. Quid autem aliud eſt difficile ipſum quàm in ſingularibus commune ordinatum? quapropter, ſi eſt definire Solem, aut Cælum, aut Lunam, ſecundum id utique quis unumquodque ipſorum definierit, quod ineſſet utique omnibus. etſi eſſent infiniti, eiuſdem ſpeciei eſſent inter ſe. res quidem ſic ſe habent. Videamus autem, ſi ex rationibus eſt cur eos pudeat, qui dicant unumquodque ſenſibilium habere in ſe ipſis uniuerſale poſitum. interrogat ergo eos: cur non & ſpecies in ſenſibilibus reponunt? hoc uero pacto facile eſt illis ad ſolutionem. dicunt enim, quòd ſpecies immateriales ſunt, & ſeparabiles omnino, & intelligibiles, & opificiæ, & ſui ſolum exiſtentes omnia generant, & ſubſiſtere faciunt. quæ uero hoc pacto uniuerſalia ſunt, feſtinant ad materiam, & in ſe ipſis manere non poſſunt, & propriarum qualitatum receptacula fiunt, & cum ipſis habent eſſe. Præterea quo modo, duo ſolida, dicis, in eodem loco eſſe poſſunt? hi uero non dicent uniuerſalem rationem ſolidum eſſe, ſed conferre quidem etiam ipſam ad unam ſubſtantiam ſolidi corporis. Socrates quippe habet in ſe ipſo coniunctum hominem, habet etiam ſingularem qualem. et certe non ſunt duo animalia in ipſo, aut duo homines, aut duo ſolida: ſed omnia hæc ad unam ſubſiſtentiam conueniunt.

Sed

Sed quo pacto dicunt, Adhuc immobilia manent, cum ſint in ijs, quæ mouentur? an immobilia manent, quouſque ſubſiſtit res? quoniam neque, quæ proprie communes ſunt, mouentur re ſubſiſtente. corrumpitur enim cum Socrate etiam homo, qui in ipſo eſt, & qui ſingulariter qualis eſt. Super omnia non interrogat, quæ neceſſitas eſt inducendi ea, & inducentes in ſenſibilibus reponendi. Ad quæ dicendum, quòd oportet ſenſibilia imitationes exiſtentes et imagines intelligibilium habere etiam ipſa quædam, quæ magis comprehenſiua ſunt, & communiora ad id, quod ſpecialius eſt, & magis particulare. nam quemadmodum in immaterialibus ſpeciebus ſemper, quæ multipotentiora, & uniuerſaliora ſunt, præcedunt particulariora, & ſummiſſa: ſic & in materialibus rebus præpoſitæ, quale commune proprio effectus quidem exiſtens, & imago uniuerſalioris rationis, ſeorſum uero ſpecificata & receptaculum proprij qualis. nihil ergo mirandum, etiam in cælo eſſe quandam communem ſubſtantiam cæli, ſecundum quam eſt cælum difficile: quam haberent utique etiam ſi infiniti eſſent cæli. eſſe uero et eam, quæ eſt, ſicut huius cæli formam, & proprietatem.

De his igitur dubitationes multæ, quo modo oportet ponentem ueritatem aſſequi.

Erat *quidem in expoſitione problematum ſextum dubitatorum, cuius ſit de his & ſimili, & contrario, & diuerſo, & diſſimili pertractare ſcientifice, quemadmodum dialectici probabiliter. hæc uero nunc pertranſiens forte quia in ſequenti tertio libro manifeſte erat de his enunciaturus, ut quæ primo philoſopho conueniunt. etenim multam quidem dubitationem non recipit hæc conſideratio, ſed potius enunciatione indigebat, & breui ratiocinatione, aut quia etiam in nono perfectiſſimam nobis de ipſis tradet doctrinam. hæc ergo pertranſiens ob pleraſque has cauſas, quod in primis ſe-*

ptimum ordinauit, nunc ſextum aſſumit, & quærit utrũ, quæ inſunt, ſint rerum principia, aut ipſa genera. Reſpondimus autem iam, quæ quidem principia, quæ inſunt, complent: quæ uero genera ipſa, non quæ ſecundum intellectum poſterius genita perordinantur, ſed quæcunque primo operantia ſunt, & in immaterialibus cauſis locata ſunt. Sed neque, quæ Ariſtotelis ſunt, uidemus, habentia aliquid obſcurum in expoſitione problematis; neque in aſtructione huius, quòd, quæ inſunt, principia ſint. unde ad ſequentia tranſeamus, in quibus dicam genera magis eſſe principia.

INQVANTVM autem unumquodque cognoſcimus.

QVOD *quidem unumquodque cognoſcimus per definitiones, eſt quodam modo uerum. Sed quo pacto principia ſunt genera definitionum? niſi forte, ut inexiſtentia definitionibus. igitur & per hæc oſtendimus, quòd, quæ inſunt, potius ſunt principia, quàm aliud quid. etſi uelimus probare ut uidetur, ſi aliquid eſt principium præter ea, quæ inſunt; occurrimus rurſus ad ea, quæ inſunt, niſi forte principia ſint genera definitionum, quòd definitiones quidem ſunt ſpecies, genera uero de ſpeciebus prædicantur. ſed, ſi quidem poſterius genita & ſuperuenientia generum recipimus; quo modo ipſa ſpecierum principia, aut definitionum dixerimus? ſi autem in uniuerſo præexiſtentia diſtinctioni entium in ſpecies conſideremus; forte utique hoc pacto ad principia ueriora aſcenderemus.*

ET SI eſt, entium accipere ſcientiam.

DICTVM *eſt, quæ genera uere ſpecierum cauſæ ſunt, & principia.*

VIDENTVR autem quidam & dicentium principia entium.

QVI

QVI unum aut ens, aut interminatam dualitatem entium principia eſſe dicebant, & ipſa perfectionis operatiua tradebant, ex ipſo quidem uno bonum ad omnia peruenire uolentes, ex ente uero eſſe, ex interminata autem dualitate potentias, & operationes, & motus, & proceſſus, & argumentationes omnimodas, & nullum eſſe entium, quod non uno participet, & interminata dualitate, & ente, & ab ipſis generetur. ſi igitur ob hoc uelit quis genera ipſa hæc omnium nominare, nulla ſit nominum inuidia. Cum uero dixit cauſas, ob quas, quæ inſunt, principia magis ſunt, quàm genera, & Empedoclis teſtimonio uſus eſt: dicet cauſas, ob quas genera magis, quàm inexiſtentia, & Pythagoricos et Platonem coadiutores huius opinionis conſtituens. nunc deinceps dicit, quòd neceſſe eſt alteros uincere. ambo enim uera eſſe non poſſunt. nos uero prædiximus, quòd, ſi alias alia principia ſumantur, poſſunt ambo uera eſſe.

AT VERO neque utroque modo poſsibile eſt dicere principia.

QVOD VNA cuiuſque ſpecierum propriiſſima definitio, demonſtrauit in Poſterioribus reſolutorijs etiam, quòd hæc eſt omnino per genera. quapropter ſic utique potius ſecundum eius ſententias principia genera ipſa dicantur. ſi enim ex generibus eſt definitio, (etenim differentiæ genera quædam ſunt ut ſpecies) ex quibus autem definitio eſt, hæc principia ſunt; genera utique principio ſint. niſi forte, & qui contraria obſeruant, genera, & differentias, ex quibus definitiones, elementa ſpeciei oſtendunt, manentia & inexiſtentia ſpeciei, ut ipſi coniuncta, ſed non ut à ſpeciebus abſtracta, neque cauſas ipſarum effectiuas, uel finales exiſtentia. ſic uero, quæ inexiſtunt, rurſus principia ſunt. ſed rationum quidem pugnantia huiuſmodi eſt,

ueritas

ueritas autem prædicta eſt, penes quam et ſententia dubitantibus rationibus præbenda eſt.

AD HAEC autem.

OCTAVVM *quidem eſt hoc ſecundum potentiam problematum. nunc uero ſeptimum exercetur, quia prætermiſſum eſt ſextum. ſed iam etiam de hoc prædiximus: & ſumenda eſt ex loco illo ueritas dogmatis.*

NVNC uero uim pugnantium rationum conſideremus.

SI *enim, quæ magis uniuerſalia, principia ſunt; de non exiſtentia uniuerſalium neutris fuerit dicere. utrique enim putant uniuerſalia eſſe, & qui generaliſſima ornare principiorum dignitate ſtudent, & qui ſpectantia potius ad principij poſitionem aptiora uolunt eſſe. Deinceps uero generaliſſimis præſidens ſermo, quoniam principij conceptus & æterniſſimum habet, & immateriale, & maxime comprehenſiuum entium, & ab ultimis abſtractum, & ſeparabile uult magis uniuerſale magis eſſe principium, generaliſſimum uero huiuſcemodi eſſe, ideo & dici de omnibus ut una natura omnia comprehendens, & omnibus adeſſe potens ſeparabiliter, ſiquidem hoc ſuperet, tot erunt principia, quot generaliſſima, ſiue decem hæc ſint, ſiue ſex, ſiue quinque, ſiue duo, periculum eſt quòd opinio illa potior ſit, quæ ipſum unum & ens ueneratur. nullum enim entium eſt, de quo horum alterum non dicatur. hæc quidem ſunt horum fabula. hic uero obcertans ipſis rationibus, primum quidem conabitur hæc oſtendere non eſſe genera, deinceps neque principia, ſcilicet unum & ens: deinde etiam eodem modo, quòd neque alia generaliſſima entium natura. ens enim & unum non ſunt generaliſſima, ſiquidem nec genera. quòd igitur, nec*

quæ

quæ uere generaliſſima ſunt, entium principia ſint, probat. incipit autem hinc.

NON EST autem poſsibile, entium unum eſſe genus.

QVO *pacto quidem comprehenſiua maxime entium principia dicebant antiqui unum & ens, dictum eſt. nunc uero, quòd generum, quæ ſuperueniunt, proprietatem hæc non recipiunt, oſtendit ſermo. argumentatur uero hoc pacto. Vnum & ens de differentijs prædicantur: ſpecies & genera de differentijs non prædicantur: unum & ens nec genus, nec ſpecies ſunt. exponit uero hæc hoc pacto.*

NECESSE eſt enim differentias cuiuſcũque generis.

HOC *eſt, neceſſe eſt unum & ens de omni differentia prædicari, aut ſpecies ſine genere, & proprijs differentijs, aut genus abſque ſuis ſpeciebus. ac ſi diceret: impoſſibile eſt autem aut hominem de toto rationali prædicari; eſt enim eius propria & ſpecifica differentia. ſed quo modo quod minus de eo, quod ad plus extenditur prædicetur? aut animal de rationali extra naturam hominis poſſit prædicari? neque igitur homo, qui eſt ſpecies generis, de ſua unquam differentia dictus fuerit: nec animal, cum de homine non prædicatur, ſeorſum de rationali unquam prædicatum fuerit. atqui unum & ens de omni differentia prædicatur. neque igitur ſpecies alicuius entium, neque genus eſt unum & ens. quapropter ſi quidem genus eſt unum & ens, nulla differentia aut ens aut unum erit. ſi autem quis ex uniuerſo capiat dicere eſſe genera unum & ens: ſequitur ad ipſum, de nulla differentia hæc prædicari: quod & abſurdum eſt, & ſuppoſitionem obſeruantium ſemper maxime euertit. non enim amplius generaliſſimum erunt unum & ens, neque de omnibus prædicabuntur. Hæc quidem nunc argumentatiue Ari-*

ſtoteles

ſtoteles diſputat. opus eſt tamen ſcire, quòd uniuerſus differentiarum ſermo correctione indiget apud hos uiros. neque enim, unde ingrediantur ad ſpecierum conſtitutionem, quoniam generibus ipſis dicunt non ineſſe, docent nos: neque, quo pacto etiam poſſit genus de omni ſpecie dici non continens differentias, probabiliter demonſtrarunt: neque differentias generum conſiderantes, & quæ ſecundum inordinatum, & quæ ſecundum ordinatum, & quæ ſecundum antiquius ipſarum ſpecierum, & quæ ſecundum recentius, ſufficienter diuiſerunt, quæ quidem generum etiam actu differentiam habeant, & quæ ut in materiæ ratione ſpeciebus ſubiecta ſunt, & quæ quidem primo operantem ipſorum cauſas præaſſumentia omnem ſui conſtitutionem demonſtrant; & quæ, imitantia ueras ſpecierum cauſas, de his tantum prædicari nata ſunt. Sed & quam deponens ad horum conſiderationem medelam uidetur Alexander ſubintelligere dogmati, ab omnibus, ut puto, eſt opinionibus alieniſſima. Dicit autem arborum, uerbi gratia, non eſſe differentias in planta, neque eas, quæ plantarum in corpore animato, neque eas, quæ horum in corpore; omnes tamen in ſubſtantia eſſe eas, quæ ſubſtantiarum; & animal quidem non habere hominis differentias, nec, quæ ſunt animalis, animatum corpus, ſed ſubſtantias omnes animalium & animatorum corporum. atqui, ſi ob hoc animal non habet eas, quæ ſunt ſpecierum ſibi ſubiectarum, ne irrationale ſimul ſit, & rationale, mortale, & immortale actu; quo pacto non & circa ſubſtantiam hæc rurſus accident? quo pacto etiam diuidens ſubſtantiam non diuidis ipſam in differentias, ſed in ſolas ſpecies? cur non habebit animal hanc rationem ad hominem, quemadmodum habet ſubſtantia? quapropter ſi ſubſtantia prædicatur de ſpecificis animalis differentijs, etiam animal de differentijs hominis prædicabitur. amplius autē, ſi de differentijs ſubſtantia, ſpecies eius erunt differentiæ:

quapropter

quapropter & ipſe habebunt differentias, quibus ſeparantur ab aliis ſubſtantiis. omnis enim ſpecies ſub genere ordinata, ex ipſo, & differentiis ſubſiſtit. etſi quidem differentiæ differentiarum ſunt ſub ſubſtantia, in infinitum procedemus. rurſus enim ſpecies etiam hæc ſubſtantiarum, & habebunt alias differentias. ſi autem non ſubſtantiæ, unde adueniunt ſubſtantiis? non enim profecto ab alio prædicamento, neque ſponte. Sed quo pacto, cum Ariſtoteles dicat in his, quòd genus non prædicatur de differentiis abſque ſpecie, quæ non ſunt differentiæ in ſpeciebus ſubſtantiæ, per ſe in ſubſtantia dicimus eſſe? et hæc quidem hoc loco proiecta ſint, forte etiam propter mediocritatem à nobis examinata. tantum uerò rurſus addentes, quòd diſtinguendus eſt de differentiis ſermo, qui perturbatius apud eos diſpoſitus eſt, tranſeamus ad ſequentia. A

At vero ſi non genera, nec principia erunt.

Si sola principia genera ſunt, concluditur in ſecunda figura, omne principium genus: unum & ens non genus: unum & ens non eſt principium: non tamen omne principium genus, ſed quoddam principium genus. particularis erit etiam concluſio.

Amplius, & intermedia ſumpta cum differentiis.

Si omnia igitur prædicata, ut unum & ens, genera ſunt, & propter hoc principia: etiam omnia media inter ipſas & indiuiduas ſpecies, quæ certe & ſubalterna uocamus, æquũ eſt genera & principia appellare. nunc uero non, omnia media genera uocare, dignũ putant. quæ enim nominata ſunt, genera appellant, auem, animal, corpus. nomine uero carentia, ut animal uolatile, aut animal pedes habens, non amplius genera uocauerunt: quia per duo nomina ſignificantur. Rurſus cum contradictione diuidant genera, ex affir- A

matione quidem & genere faciunt ſpeciem, quæ eſt genus eorum, quæ ſub ipſa ſunt, ex negatione uero minime. diuidentes enim, uerbi gratia, animal per carens pedibus, & habens pedes, animal quidem habens pedes indubitanter faciebant: ſi autem & carens pedibus poſſet eſſe ſpecificum, conſiderabant. Quo modo igitur non pugnantia ſibi ipſis conſtituunt? Hæc autem in præſenti, ſeu ſerio, ſeu logice argumentans Ariſtoteles dicat, conſiderare licet communiter. Quòd autem et in primo de particulis animalium his eiſdem in Platonis rationem diuidendi inuehitur, manifeſtum eſt ijs, quos illa non latent.

AD HAEC autem adhuc magis differentiæ principia, quàm genera.

SECVNDVM *eos, qui dicunt generaliſſima eſſe principia. ſi genera principia ſunt, multo magis differentiæ. ſi autem et differentiæ principia, fere infinita principia erunt. ſi enim quis intellexerit ſpecies, quæ ſunt ſub ſubſtátia, & quòd ſpecierum plures ſunt differentiæ; ſciet, quòd omnino quidem ignotæ nobis ſunt ob multitudinem. quis enim herbarum, & lapidum, & animalium, & arborum omnium enumerare poterit permutationes? periclitantur autem etiam propria natura proxime ad infinitum accedere. oportet autem, principia numero quidem minima eſſe, potentia uero uniuerſorum generatiua, & comprehenſiua. Hæ quidem ſunt horum nugæ. Si autem in generaliſſimis cauſis omnes ſingulares differentias contineri dicat quis, fugiet & multitudinem principiorum ſecundum numerum, & nihil ſine cauſa dicet eorum, quæ in mundo ſunt, fieri.*

AT VERO etſi magis principii ſpeciē unitas habet.

RATIO: *ſpeciem indiuiduam, ut indiuiſibilem exiſtentem, & magis unam, magis, quàm genus, ſignificat principium.*

eſt enim, dicit, diuiſibile hoc, & non magis unum, quàm
multa. Cum enim diuiſio duobus modis fiat, & cum prior
illa ſit, quæ eſt ſecundum ſpecies: (etenim hæc eſt ſubſtan-
tiarum omnino incorporearum, & decem prædicamento-
rum: reliqua uero quantorum ſolum) ſecundum utranque
quidem, id, quod diuiditur, minus eſt unum ipſo diuiſiuo,
maxime uero illa, quæ diuiduntur ſecundum ſpeciem. mul
ta enim tota faciunt. genera igitur in ſpecies diuiſa ſpecies
ipſas in ſe ipſis continent. ſpecialiſſimum uero non ut de ſin-
gularibus prædicatur, ideo nec diuiditur in illa, ſed ut ſpe-
cies ipſorum indiuidua componit. ſic ſpecialiſſimum genere
magis unum eſt: &, quod eſt magis unum, principium eſt.
igitur ſpecialiſſimum, magis principium eſt. falſa autem eſt
ratiocinatio, quod attinet ad minorem propoſitionem. non
enim poteſt, quod eſt proximum infinitis, magis unum eſſe,
eo quòd remotius ab ipſis locatum eſt. omnino autem nec ſic
diuiditur genus in ſpecies, ut abſumatur in harum ſubſiſten-
tiam; ſed manens uerum genus, ſubſiſtere facit ſpecies. po-
tentia igitur comprehenſiuum magis ipſis eſt genus, nu-
mero uero non ſingularius. hoc autem principijs dicimus
conuenire.

AMPLIVS, in quibus prius & poſterius eſt.

ARGVMENTATIO *hæc uidetur deſtruere ſubſiſtentiam ge-*
nerum, ut ſcilicet ſolæ indiuiduæ ſpecies & ſint, & ad prin
cipij rationem aſſumantur. neque enim aliquid agit hæc. et
ſi quidem poſſibile eſſet, ſimul deſtruerentur illico etiam ſpe
cies cum generibus. nam hæc ad ſe mutuo ſunt, & dicuntur.
quodam modo igitur recte incedit, & quodam modo obra-
tiocinatur. quòd quidem in ſpeciebus eiuſdem generis, eſt
uidere & prius, & poſterius, & melius, & deterius, fere
etiam à nobis conceſſum fuerit: & ne nunc, cæleſtia & di-
uina, & immortalia, & intelligibilia animalia terreſtri-

bus, & fragilibus, & corruptibilibus, & maxime irrationalibus comparans, perturbationem inferam conſiderationi; de omnibus illis uolo rationem conſiderare: ſi quidem differentiæ, ſecundum quas potentias ſpecierum diſtinguimus, ad generum ſubſiſtentiam neque æque præſtantes ſunt, & utplurimum formæ & priuationis ordinem habent inter ſe, neceſſe omnino eſt & ſpecies à ſe inuicem differre meliori, & deteriori, & priori, & poſteriori. præſtantior quippe apud Pythagoricos eſt impar pari, et circulus rectilineis: amplius, & quod circulo fertur corpus eo, quod recte fertur: & alia omnia fere hoc pacto. non ob hoc tamen hæ ſpecies non ordinantur ſub uno genere. nam etſi non in genere ſunt differentiæ, ſed ab exemplo ſpeciebus adueniunt, poſſunt etiam ſpecies idem quod & ſimile ex genere habere, prius uero & poſterius ex differentijs, ſiue etiam genus differentias omnes ſpecierum in ſe ipſo contineat, circumducit quidem multas ſpecies, quaſdam quidem ſibi propinquiores, quaſdam uero medium ordinem habentes, inter ea, quæ procedunt ab ipſo; quaſdam uero etiam in fine earum, quæ ab ipſo generantur diſtinctionum apparentes: omnibus tamen ueſtigium ſui imponit, & characterem, & interiorem apparentiam, ob quam ad unum ipſarum & generaliſſimū principium remitti poſſunt: ſecundum uero hanc unam interiorem apparentiam etiam uniuocæ eſſe inter ſe non prohibentur: etſi alias ob cauſas magnam habent ad ſe ipſas differentiam & diuerſitatem. fere igitur ad oppoſitum ratio circumſtat, argumentationibus auferre ſtudentibus generum ſubſiſtentiam. hæc enim oſtenſa ſunt ab excedentem potentiam fœcundiſſimam cauſam, & primas, & medias, & ultimas producentia ſpecierum: quæ uero de indiuiduis dicuntur, ſpecies fere & ipſas indiuiduas fieri, eò quod non procul à materia ſitæ ſint: quæ natura eſt infœcunda, & ſibi propinquantia conſtringit, & ad multitudinem ſpecifica-

rum

rum potentiarum non permittit extendi. ideo neque de prioribus & poſterioribus, nec de melioribus & deterioribus indiuidua ſpecies prædicari potuit, ob paruitatem naturæ, & circumſcriptionem proprietatis.

RVRSVS autem, quo pacto oportet hæc opinari principia.

VVLT *quidem rurſus oppoſito opitulari, & oſtendere, quòd indiuiduæ ſpecies non ſunt principia, ſed generaliſſima. probat autem ſic. principium entium ut uera cauſa ſeparabilis ab elementis eſſe debet. Vtrum igitur indiuidua ſpecies ſeparabilis à ſingularibus, aut quod uniuerſale quid-eſt, & de omnibus dicitur? Sed ſi hoc, genera & uniuerſaliora ſunt, & de omnibus prædicantur: magis ſeparata à ſenſibilibus ſunt: quapropter magis principia ſunt genera. & eſt enunciatum hoc omnino uerum, quòd ſeparabiles debent eſſe cauſæ, & totus proceſſus rationis ſanus: et demonſtratum eſt. etenim indiuiduæ ſpecies principia ſunt: magis autem principia ſunt genera. omnino enim, quodcunque enunciatum ſpeciebus circumponens quis, maiori modo genera uenerari cogetur: quemadmodum qui ſpecies eſſentia carere dicũt, & poſterius genitas, intenſius hæc dicent de generibus. ideo & in primis eſſentia quidem, utraque carent, ſed magis ſpecie ipſum genus.*

EST uero ſequens ad hæc dubitatio.

ETIAM *hoc ordine conſiderationis poſtpoſitum eſt: eſt enim decimum: in problematibus octauum: in executionibus rationum aſſumitur. quærit autem, an ſint præter ſenſibilia quæ dicuntur uniuerſalia, an non. nam ſi non ſint, inquit, abibit ex entibus ſcientia. nam, quo pacto, quæ in infinito tempore infinities fiunt, diſcamus, non erit: nunc enim per uniuerſalia comprehendere ipſa putamus. at ſi hæc ſubſiſten-*

tia

tia careant, & diuiſiua, & demonſtratiua, & definitiua omnis philoſophia inanis ſomniatæ uanæ fient. ſi autem inquit, ſint uniuerſalia, rurſus erunt genera, & ſpecies, de quibus ceſſauimus dicentes quòd & non uidentur eſſe, ob quam cauſam coniunxit hoc ſeptimo problemati, ut ex uicinitate rememoret nobis ea, quæ in eo dicta ſunt. Dicamus ergo & nos, quòd neque in priori cap. confuſa ſunt non exiſtentia genera & ſpecies: quo modo enim falſum oſtenſum unquam fuerit? ſi tamen non ſint uniuerſalia, abibit ex entibus ſcientia. etenim hoc recte dicit. adde autem, quòd neque ſubſiſtere poſſunt infinita non exiſtente una cauſa infinitæ potentiæ, niſi forte ſponte. ſed quo pacto ſponte eſſe poſſunt, quæ natura ſunt? quapropter ſi ſic ſe habeat, infiniti autem & homines, & equi, & multa uniuocorum infinito tempore fiunt, ſecundum quæcunque horum eſt unitas infinitæ potentiæ, ſecundum quam hæc terminate in infinitum fiunt quidem in uniuerſo, cognoſcuntur uero in iis, quæ habent cauſam eorum, quæ infinita facit. Amplius, omnia ergo naturabilia animalia ex eo, quod potentia eſt, in id, quod actu, tranſmutantur. ſi autem hoc, oportet aliquod in uniuerſo actu eſſe animal, quod, quæ potentia ſunt, ad actum ducat. eſt autem hoc nec Sol, nec Luna, nec aliquod aliud determinatorum animalium. conferunt enim & diuina animalia ad ſubſiſtentiam & operationem perfectionis ipſorum generabilium. Sed illud, à quo propric, & ad quod fiunt, quæ hic, animal erit ſolum actu, & nihil aliud eſt cauſa eorum, quæ indiuiduis cõiuncta ſunt animalia. neque torpeas & de homine & de aliorum unoquoque conſiderans, & reſpiciens uera genera generatiua, exiſtentia ſecundum naturã, et ueras ſpecies formatiuas infinitorũ exiſtẽtes.

AMPLIVS, ſi quammaxime eſt aliquid præter ſimul totum.

SIMVL *totum ſingularia dicit, ut ſpeciem qualificatam, & habens ſpeciem in ſubiecto, quam dixit prædicari de materia. eſt enim ei mos in ſubiecto de ſubiecto uocare, diuidit autem perfecte. aut enim præter omnia ſenſibilia eſt uniuerſale, aut præter quædam, aut præter nullum. quoniam autē ex ſuppoſitione producit diuiſionem; (ſi enim, inquit, uniuerſalia ſunt, fit triplex euerſiuum ſuppoſitionis, quemadmodum ante nos etiam Alexander notauit) in forte igitur neque oportet audiri ſuppoſitionem, ſi oportet omnino nos conſiderare, ſi quidem ſunt uniuerſalia, aut in omnibus eadem eſſe dicit quidem, aut in quibuſdam, aut in nullis: deinde oſtendit, quòd, omnino ipſa deſtruere, eſt maxime uniuerſorum euerſiuum.*

SI IGITVR nihil ſit præter ſingularia.

STATIM *ob hanc ſuppoſitionem diuiniſſima entium carentia ſubſiſtentia fiunt: & nos, ut uidetur; fruſtra à Deo intellectionem ſumpſimus, ſcientiaq; non eſt nec apud nos, nec apud deos, niſi quis ſecundum Theetetum, aut Protagoram ſenſum ſcientiam nominare cupit. hoc autem cauillum alicubi fuerit, & non res ſtudio digna.*

AMPLIVS, neque æternum nihil, neque immobile.

AVFERENS *intelligibilia, & cogitatione conſiderabilia, nō tantum intellectum, & intelligibile, & ſcientiam aufert, ſed etiam quodcunque æternum. At non ne cælum æternum eſt? an æternum eſt eo quòd ſit aliqua intelligibilis immobilis cauſa ei æternæ mobilitatis? quæ ſi non ſit, quid relinquitur aliud, quàm & totum cælum, & omnem generationem concidentem ſtare, & nunquam habere iterationem, unde mota generabuntur? Denique etiam alibi hoc probauit, quòd omne quidem corpus terminatum eſt, & nunc quoque manifeſte*

manifeſte nobis oſtendet, quòd, niſi aliquid ſit ſui natura æternum, nec generatio ſubſiſtet.

Ат. VERO ſi æternum nihil eſt, propter quid, & ob quam neceſsitatem audiemus ipſum generoſe demonſtrantem? neceſſe eſt enim eſſe aliquid, quod fit, & ex quo fit.

SI EST *generatio, erit quidem quandoque quod fit. non enim caret fine mutatio, quæ eſt ſecundum generationem. erit etiam materialis cauſa, quæ ſecundum proximum conſiderata, non prohibet eſſe generabilis. etenim noſtri corporis proxima materia generabilis eſt. reſolutam autem in ultimum, & in primam materiam redactam, ingenerabilem eſſe neceſſe eſt. Cur? quia neque in infinitum materialis cauſa nata eſt reſolui, neque ex non ente factum unquam aliquid fuerit. & hæc per illa uerba ſignificat, ſiquidem ſtat, & ex non ente factum iri impoſſibile eſt. quod igitur ſtet, & non in infinitum ſit, reſolutio demonſtrauit in minori a, -ſumens quòd neque utique cauſa fuerit, niſi prima ſit cauſa. ſi autem primum ſit, eſt & in ſurſum ſtatus, & non in infinitum eſt cauſarum reſolutio. quòd autem naturalium nullum ex non ente, communis eſt dignitas eorum, qui circa naturam uehementes fuerunt.*

AMPLIVS autem, generatione exiſtente, & motu, neceſſe eſt & finem eſſe.

OMNIS *generationis neceſſe eſt finem eſſe. non enim eſt abſque intentione naturæ motus, nec fine carens, quæ ab ipſa perficitur generatio. ſi autem omnis finem habet: omnis autem ultimus finis habet etiam principium: (hoc enim oportet ſubaudire) omnis generationis & motus eſt principium, & finis. nunquid igitur & cæleſtis? proculdubio etiam huius*

ius. infinities autem facto eodem & fini principium coniungente, ob potentiam principij motiui, manet ſemper mobile cælum. Quod autem omne, quod fit, finem habet, cum & principium habeat, manifeſtum eſt, (hoc enim eſt finem habentium) & ſic probat. quod fieri poteſt, fit. omnis ergo generatio, & motus principium habentis eſt, & finem. æterni uero finis non eſt, neque principium. nullus igitur motus, nec generatio æterni eſt. ſi quid igitur eſt æternum, ingenerabile, per ſe mobile eſſe oportet. intelligibile igitur ipſum, aut cogitabile oportet eſſe. hæc enim ingenerabilia ſunt, & immobilia. Sunt igitur intelligibilia, & cogitabilia. hoc autem erat à principio ei oppoſitum. componenda igitur omnia ſunt. ſi generatio eſt, (neceſſe eſt autem eſſe) eſt æternum. ſi æternum eſt, eſt aliquod ingenerabile, & inmobile, ſi hoc, eſt intelligibile. ſi hoc, non ſola ſenſibilia entia ſunt.

ADHVC autem ſi quidem materia eſt.

NONVM hoc eſt in problematibus, quemadmodum hic: & apparet manifeſte cauſa poſtpoſitionis. nam quoniam oſtendit in decimo quidem ibi, octauo uero in his, quòd eſt ingenerabilis materia, coniunxit ſtatim ſermonem de formà ſeparabili. ſi enim eſt ſemper materia, quia ante omnem generationem intelligitur; multo rationabilius eſt formam comtelligere ingenerabilem, quæ & ad materiam potentia, & imperfectam, & cum priuatione omnium habentem eſſe, ad actum ducet, & ad perfectionem, & ad ornatum, qui eſt per formas. Ratio igitur huiuſcemodi eſt. ſi eſt materia ingenerabilis, multo magis eſt forma ſeparabilis, & æterna. non enim profecto ſe ipſam materia formabit, ut quidam putabant pridem philoſophantium. ſi uero ne cogatur quis ponere ingenerabilem formam, negabit & materiam eſſe ingenerabilem; intelliget neutra exiſtente ingenerabili

uel forma. oſtenſum eſt enim, quòd oportet eſſe aliquod æternum, ſi futura ſit generatio. ſi autem impoſſibile eſt nihil eſſe, (nam quid hoc impoſſibilius?) opus eſt aliquod eſſe æternum. hoc uero ſi quidem forma ſit; habeo, quod quæritur. ſi uero materia, rurſus dicam, quòd multo rationabilius eſt, exiſtente materia ingenerabili, æternam etiam formam eſſe. quapropter, quoniam ambo quidem impoſſibile eſt non eſſe, materia uero exiſtente ingenerabili neceſſe eſt formam eſſe: ambo neceſſe eſt eſſe. Quod autem de forma ſeparabili ſit forma, manifeſte ſignificauit ſubiungens, neceſſe eſt aliquam eſſe præter ſimul totum formam, & ſpeciem. ſi uero rurſus hanc ponet quis; dubitatio eſt, & in quibus ponet, & in quibus non. quòd enim in omnibus non ſit poſſibile, manifeſtum eſt. non enim utique poſuerimus eſſe aliquam domum præter quaſdam domos, quod conſueuit Parmenides dubitare. hoc & ipſe quærit, in quibus eſt idea, & quorum non. accurate igitur in commentarijs in Parmenidem à diuo Iamblicho de his dictum eſt: poſitumq; eſt & apud Plotinum in conſideratione de intellectu, & de ſpeciebus, & de ente. Vt autem per minima dicamus, in præſenti neque artificialium ideæ ſupponendæ ſunt, & recte renuit Ariſtoteles nunc eſſe quandam domum præter multas domos, neque eorum, quæ præter naturam, neque malorum, neque turpium, neque ſingulariter generabilium. uniuerſorum uero generationis, & eorum, quæ in mundo ſunt, & immaterialium animæ rationum præexiſtere, dicimus æterna exemplaria, intellectualia, generatoria, & prouiſoria.

AD hæc autem, utrum ſubſtantia una omnium erit.

ET HOC *quoque dubitauerit quis aduerſus eos, qui ideas inducunt; utrum una ſpecies ſit omnium hominum, quam inducunt per ſe hominem: ſed abſurdum eſt, inquit: oporteret enim & omnes homines hic unum eſſe, tanquam ad unum*

ſint

ſint. unum enim omnia ſunt, quorum ſubſtantia una. ſed interrogabimus, quæ ſubſtantia? quæ ſecundum inſeparabilem formam, an quæ ſecundum ſeparabilem? ſi ſecundum inſeparabilem, ueram quidem increpationem eſſe dicimus. eſt ergo ratio, quæ nunc de forma inſeparabili. ſi uero quæ ſecundum ſeparabilem, nihil abſurdum eſſe dicimus, ex una cauſa multa & infinita generari, eiuſdem tamen inter ſe ſpeciei, ſi ſecundum illam fiant. quapropter, ſiue ſcriptura habeat, nihil abſurdum ſequitur; ſiue ſcribere eligat quis, ſed abſurdum; (non enim eſt una omnium ſubſtantia) eadem rurſus dicemus, quòd ſeparabilis quidem ſubſtantia ipſorú, & cauſa, non prohibetur una eſſe: inſeparabilis uero ſpecie quidem una, multa uero & infinita numero: multas uero eiuſdem ſeparabiles & diuerſas ſuppoſitioni, partim quidem irrationabile eſt, partim uero neceſſarium. nam in intellectu quidem opificis unum ſufficit eſſe hominum exemplar, & abſurdum eſt plura ſupponi, cum ſufficiat unum ad generandos omnes homines. quoniam & in quo nunc dicerent ab inuicem in eodem exiſtentia? opus eſt etiam, & in anima uniuerſi eſſe hominum, qui hic ſunt, cauſam, & in natura uniuerſorum, & omnino ſecundum quemcunque ordinem entium ſpecies, ut in alijs oſtenſum eſt. Tota uero hæc inquiſitio penes illud problema facta eſt, an ſint & ſingularium ſpecies aut nullius generabilium.

AMPLIVS autem, et quo modo fit materia.

VERE *dubius eſt modus mixtionis ipſarum ſpecierum. et hoc etiam diuinus Plato & dicit in Timæo, et in Parmenide demonſtrat. nunquid enim parte quodcunque eorum, quæ hic ſunt, participat, & quo modo aut illa diuiditur, aut hæc inter ſe ſunt eiuſdem ſpeciei ſecundum alias & alias partes ſubſiſtentiam habentia? ſed tota cuicunque adeſt. & quo modo multa quidem unum fiunt? ipſum autem à ſeipſo ſe-*

parandum oſtenditur, & omnino quæcunque magnus Parmenides, Socratem exercens, circa ſpecierum conſiderationem proponens fecit. fere igitur hæc ſunt, quæ dubitauit in hoc cap. quæ etiam idearum amici quærere conſueuerunt: an ſint ideæ, quorum ſint ideæ, quo modo ipſis materia participat, temperie, compoſitione, & alteratione, & complicatione, & quid uniens ipſam & ſpeciem. hæc enim dubitari conſueuerunt. ipſe autem dicit in hoc negocio, quòd ipſum potentiale, dum perficitur, & ad quod natum eſt procedit, non indiget colligante ipſum ſui perfectioni, & actui.

ADHVC autẽ & de principiis hoc dubitauerit quis.

EST *quidem hoc undecimum in expoſitione problematum, decimum uero nunc exercetur, eo quòd derelictum ſit perfecte, quod in illis erat ſextum. Quærit autem per ipſum, utrum ſpecie principia ſint terminata, aut numero. nam ſi ſpecie, inquit: nihil eorum, quæ hic ſunt, unum numero erit, ſed ſpecie: quoniam ſecundum illas omnia, quæ hic facta ſunt. amplius, neque ſcientia rerum erit. opus eſt enim unum eſſe numero, quod de multis eiuſdem ſpecie conſideratur. ſi aſſumenda eſt aliqua ſcientia, multaq; huiuſcemodi eſſe, ita ut unumquodque ipſorum unum numero ſit, ut & eiuſdem ſpeciei inter ſe ſint, nullum horum erit: ſi principia non numero unum, ſed ſpecie ſint terminata. tota ergo conſecutio rationis huiuſcemodi eſt. niſi principia unum numero ſint, neque quæ ab ipſis, ſi nihil eſt numero unum, neque quod in omnibus eſt eiuſdem ſpeciei, unum eſt accipere. hoc enim eſt numero unum, ne & huic aliud ſuperueniens unum quæramus, & his in infinitum. Si autem in omnibus, quæ eiuſdem ſpeciei ſunt, unum non eſt accipere, neque utique ſcientia ſit.*

AT VERO ſi numero unum.

SI AVTEM *non ſpeciebus, ſed numero, inquit, principia unum habent, tot erunt, quæ ex ipſis, quot & hæc: quemadmodum & elementa literatæ uocis uigintiquatuor ſi non ſpecie tot ſint, ſed numero, tot utique facerent quæ dicuntur, quot ipſa ſunt. Semel enim ipſa aſſumi neceſſarium eſſet: quemadmodum lapides, ſi numero eſſent terminati, neceſſe eſſet, quæ ex ipſis ædificia, tot eſſe, quod & hi. ſic & entium principia ſiquidem numero terminata ſint, tot facient, quod ipſa ſunt. ſiquidem ut elementa dixeris ipſa eſſe principia, ſed non ut generatiua, & effectiua. nam ſi ſic, non prohibentur quamuis terminata numero infinita generare. ſed neque, quæ ad ſpecie terminationem habentia principia interrogatur ratio, ſane omnino proceſſit. non enim, ſi principia huiuſcemodi ſunt, etiam, quæ ab ipſis, huiuſcemodi ſunt. abſcindit enim materia & reſecat immaterialiũ & intelligibilium ſpecierum proprietatem.* DICTUM *eſt autem de his in prioribus, & quo pacto quæ quidem intelligibilia ſunt, & ſpecie & numero ſunt terminata. quæ uero in his ſuperiora ſunt, meliora ſunt, quàm ſecundum horum utrunque.*

NVLLA uero minor dubitatio.

DVODECIMVM *eſt hoc ſecundum expoſitionem problematum. dubitat autem in eo, utrum eædem ſint æternorum & corruptibilium cauſæ, aut diuerſæ quidem horum, diuerſæ uero illorum. nam ſi eædem, quo modo hæc quidem æterna faciunt, illa uero corruptibilia? ſi uero diuerſæ; quòd quidem æternorum incorruptibiles, manifeſtum eſt. ſi autem & corruptibilium incorruptibiles, ratione indiget. ſiue enim incorruptibiles incorruptibilia faciunt, ſed non eodem modo cum iis, quæ ſunt ante ipſas æternæ ſunt. ſi uero corruptibiles, quo modo principiis corruptis non omnis generatio concidens ſtabit? habet igitur ſermo conſiderationem philoſophicam.*

ſophicam. ſed cur relictum hoc eſſe dicit omnibus prioribus imperſcrutatum? quod manifeſte Plato poſt æternorum fabricationem ad mundanos deos tradit opificem dicentem. mortalia adhuc tria genera deſunt, quæ generata non ſunt. his uero non generatis, imperfectus erit mundus; omnia enim in ſe ipſo animalium genera non habebit. ſed opus eſt generari, ſi futurus eſt hic perfectus. per me enim genita hæc & uita participantia dijs utique æquarentur. Vt igitur mortale & immortale decenter omne ſit, uertimini ſecundum naturam uos ad animalium fabricationem, & quæ ſequuntur, & de generatione animaliū, & nutrimento, & de augmentatione, & diminutione docentia. Manifeſte igitur dixit Plato, quòd & primæ omnium ſunt cauſæ, & qui in cælo ſunt, generationem procurant, & quòd mortalia, niſi haberent proximas cauſas, & corruptibiles, & quæ tranſmutantur, non utique eſſent mortalia. Intelligibile ſolum principium habentia ut quæ rerum æternæ ſunt. igitur quæ circa Heſiodum, & omnes, quicunque theologi de eo, quod apud eos erat probabile, ſolum curam habuerunt, nos uero paruifacerent. Deos enim facientes principia, & ex alijs alia facta eſſe, quæ non guſtarunt nectar & ambroſiam, mortalia facta eſſe dicunt, ut ſcilicet nomina hæc ſibi nota dicentes. quid enim aliud quis principia, quàm deos, eſſe putauerit? neque enim principio antiquius eſt aliquid, nec deo; aut dijs. quapropter hoc quidem neceſſe eſt dicere theologis, & ex dijs omnia generare, intellectus animam, naturas corporum, & quæ æterna ſunt, & corruptibilia. quoniam ergo quædam ipſis dijs uniuntur ex ijs, quæ facta ſunt; quædam uero nunquam ipſis immediate coniungi nata ſunt; quædam uero quandoque quidem hoc, quandoque illo modo, in quibus & quod noſtrum eſt ordinatum eſt: quæ quidem ad deos reſpiciunt, nutriri dicunt illinc ambroſia & nectare: præbet uero eis ambroſia quidem ab ipſa generationes, operationē,

in

in quo eſt tabes, & ſanguinea impuritas: nectar uero non mulceri ſecundum ultimorum prouidentiam, ſed implacabiliter, & immutabiliter uniuerſis prouidere. quæ uero quandoque quidem ad illos extenduntur, nata uero etiam illinc remoueri; uerum quidem dicentia, & recte iurantia, dicuntur ambroſia & nectare participare, hoc eſt ad uere ens extenſa, &, quod diuinum eſt, colentia; mentientia uero, & peierantia, hoc eſt ad non ens & generationem declinantia, & quæ circa diuinum ipſum aſpernanter ſe habent. priuari nutrimentis, quæ ſunt ex intelligibili, ut mortalia, & fragilia, neque ipſis unquam participare. quæ igitur facta fuerit uerior hæc diſputatio? quæ de principijs, aut de ijs, quæ ab ipſis ſubſiſtunt, ego quidem neque ad intelligentiam peruenire potero. ſi uero non omnibus manifeſta ſunt quæ ab ipſis dicuntur, forte quidem & ſtudioſe apud eos obſcuritas fuit, ob multorum dogmatum alienitatem ad ipſa diuina. forte autem & diuinum genus ſic natum eſt dicere, intuens potius, quàm latius docens.

ET SI de ipſa cauſarum allatione.

TOLERABILITER *quidem interrogata ſunt hæc: ſed dicendum eſt ad ea, quòd nutrimenta quidem illuſtrationes à ſuppoſitis cauſis, & miniſtrationes bonorum dicuntur: hæc uero à maioribus bonis afficiunt, illa, quæ etiam à ſui conſtitutione bonum habent, & perfectiorem æternitatem impertiunt ijs, quæ ſecundum ſui ſubſtantiam æterna ſunt. quapropter, lætitiæ cauſa, & eſſe his participant.*

SED de iis, qui fabuloſe decipiunt.

NON *audiuimus Platonem hæc dicentem de ipſis, immo uolentem ipſos ſequi in ſermonibus de dijs, & ſi & abſque ſignis & demonſtrationibus dicerent, tanquam cognationem ad diuinum haberent excellentiorem, quàm homini-*

bus conueniret: unde & diuinos & diuiniſſimos ipſos conſueuit appellare.

Sᴇᴅ ab iis, qui per demonſtrationem dicunt.

Dɪᴄᴛᴠᴍ *eſt quidem, quòd & hoc eſt exuberantiæ ipſorum principiorum opus, non prius ceſſare à generatione, quàm æternis etiam mortalia coniunxerint, dictum eſt autem, & quòd uniuerſum non poterat etiam perfectum non omnia in ſeipſo animalia complectens; & etiam qui in cælo ſunt cum uno opifice mortalia animalia ſimul generantes, neceſſario ipſa mortalia faciebant. quæ enim à mobilibus cauſis fiunt, æterne manere non poſſunt. in his Empedoclem ex alijs in hac conſideratione apponens, ut à ſeipſo in hoc tantum non differentem, quòd eadem uniuerſorum principia ſubſtituens omnia corruptibilia facit, & non quædam æterna, quædam uero corruptibilia. Rurſus ipſum accuſat, ut ſuis repugnantem ſuppoſitionibus. cauſis enim, inquit, duabus utens, una quidem effectiua, ſcilicet amicitia; altera uero corruptiua, ſcilicet lite; multa quidem corrumpit per amicitiam, multa uero generat per litem. Amplius dominari ipſa uiciſſim dicens, cauſam non dicit tranſmutationis principiorum. ſed neque omnia corrumpere dicemus Empedolem: nõ enim indiget huiuſcemodi ad ſe ipſum concordia: ſed quemadmodũ & alios Pythagoricos, ſic & ipſum noſſe has quidem intelligibiles ſubſtantias, illas uero ſenſibiles, neque corruptiuum quidem ſupponere litem eſſe principium; ſolam uero amicitiam effectiuum, nec cauſam apparentis ipſorum dominij uiciſſitudinarij ſiluiſſe: ſed & Pythagoricum quidem exiſtentem & Orphicum ſupponere quidem poſt unum uniuerſorum principium. de quo nec ipſe, nec Parmenides, nec Pythagoras iubebant ſibi ipſis rationes deponi. hæc duo plura principia amicitiam, & litem, quas Pythagorici unitatem & dualitatem nominabant, interminatam ipſam uocantes,*

uocantes, ob potentiam in uniuerſum occupantem. ex his ue ro principiis & intelligibilem mundum emergere, & ſenſibilem. in intelligibili igitur, appellato ſphæro, ſecundum actionem dominari amicitiam propter unionem immaterialium, & diuinarum ſubſtantiarum: (eodem modo eſſe uidetur uniuerſa generatio) in ſenſibili uero litem. quòd autem dominetur utrunque principiorum in utroque, etſi utrunque ubique ſit, quæ ex uno ab ambobus abſtracto, in ipſa deriuat, perfectio cauſa eſt. quam perfectionem temporis uocat perfectionem ab intellectione omnia continente procedentem. Tempus Orpheus ipſum primum uocabat, orcum uero, id eſt iuramentum ipſum primum ut ſeptum eſt cuſtodia aliorum: procedentem uero ab eo in hæc duo uniuerſorũ principia perfectionem, quæ potentias ipſorum & dominia menſurat, perfectionem nominauit tempus: ac ſi diceret, perfectionem, quæ eſt à tempore.

SED quando certe magnum odium in membris nu tritum eſt.

MAGNAM *quidem ipſam prædicens, quẽadmodum Orpheus Chaos ipſum & magnam uoraginem ingentem hinc et hinc, & Pythagoras interminatam dualitatem, membra uero ipſi tradens & augmentationem: quoniam proceſſus & generationis, & multitudinis, & multiplicationis, & omnis augmentationis uniuerſis cauſa ſit.*

AD honoresq; euexit ſe perfecto tempore.

HONORESQVE *regios reparauit ſecundum perfectionem, quam tempus ipſi deferebat. menſurat enim id, quod maxime primum eſt, & infinitam potentiam duorum principiorum.*

QVOD permutatum à lato ſolutum eſt iuramento.

QVAE ſui perfectio à cuſtodia uniuerſorum, & maxime primo omnium principio tradita eſt: quam latam, ut incomprehenſibilem omnibus, & ut omnia complectentem, & menſurantem, uocauit. permutabile uero non quandoque quidem huic, quandoque uero illi perfectionem afferat, abſtractum ab ipſo unum: ſed quia propriam utrique & conuenientem ambobus. ſi autem permutabile, ut ſequens eſt, & ſemper cum eis exiſtens, nec unquam aliquo modo derelictum ab aliquo entium, nedum à duobus principiis, quæ cum ipſis ſunt. Recte utique etiam ſic dictum eſſe uiſum fuerit. omnibus enim adſunt quæ ex maxime prima uniuerſorum cauſa bona miniſtrantur. quo modo autem & intellectualem Deum imprudentiſſimum Empedocles facit, apud quem eſt ipſa ueritas? quia, inquit, lis non eſt in eo: quia ſecundum ipſum ſimile ſimili cognoſcimus. ſed erat quidem etiam apud ipſum lis, propter unionem, quæ in ipſo eſt, & identitatem. propter quæ & Parmenides unum eſſe ipſum ens dicebat. deinde, ſi nos terram terra cognoſcimus, cur non & diuina ſic? ſed quo pacto ei conuenit dicere, quòd non omnia intelligat? nam ſic etiam qui apud ipſum eſt primus Deus, ſe ipſum ſolum intelligens, minus utique nobis habuerit, qui ad omnia uertere animæ oculum poſſumus. Sed de his quidem ſufficiant, quæ dicta ſunt. Deinceps uero Ariſtoteles dubitat ad eos, qui diuerſa quidem æternorum, diuerſa uero corruptibilium principia eſſe ſupponunt. ſiue enim, inquit, corruptibilium principia corrumpunt in infinitum. manifeſtum eſt enim, quòd in hoc corrumpuntur ex quibus generata ſunt. quapropter erunt principiorum principia, & hoc in infinitum alibi. præterea cur non & omnis deſtruetur generatio, ſi eius principia corruptibilia ſunt? hæc omnia recte dicens, & Platonice, ſiue incorruptibilia, cur non & ipſa æterna faciunt quemadmodum quæ ante ipſa? dictum eſt autem, quòd & incorruptibilia ſunt, ſed

ſed non immobilia, & hunc eſſe multum ſermonem innuit. mordicus uero abſcindere dixit priores dubitationem: quia uelutι tangentes ipſam fugiunt ab ipſa mures, cum propter guloſitatem quidem addunt obſonia. non tutam autem putant eſſe circa ipſa moram. nam & illi mordicus abſcindentibus & deguſtantibus aſſimilantur.

OMNIVM autem conſideratu difficillimum.

TERTIVM *eſt hoc ſuper decem in expoſitione problematum, duodecimum autem hic, quia prætermiſſum eſt omnino ſextum, ut ſæpius annotauimus. dictum eſt autem in primis, quo pacto Pythagorici & Plato dicunt, & quòd Empedocles quidem non eſt ab ipſis diſcors in his: ſed forte philoſophi ex Ionia ſecta naturales, qui ipſum unum & ens aquam, aut ignem, aut aliquid huiuſcemodi eſſe putant: quoniam & ipſe Ariſtoteles & intelligibilem, & immobilem ſubſtantiam ueneratur, & accuſat eos, qui ſola corpora eſſe dicũt. tamen ipſum quidem unum & ens manifeſte non facit in rebus diſtare. ſed idem dicens ſubiecto forte intelligibili ab inuicem differre: utrunque uero horum & ambo hoc aliquid ſignificare, ut intellectum, aut animam, aut mundum, aut ſolem, ipſum uero unum eſſe aut ens uel aliud exiſtens entium, non ſuſtinens ea, de quibus forte licebit, cum occaſio fuerit, dubitare ad ipſum. Interim uero nunc argumentationes ad utranque partem ipſius intelligamus.*

ACCIDIT autem ſi quidem quis non ponet.

HABET *quidem ratio multam neceſſitatem etiam ſecundum apparens. ſi enim ſunt uniuerſalia, multo magis ſunt uniuerſaliſſima: & ſi ſunt uniuerſaliſſima, ſunt ipſum ens & unum abſtracta ab omnibus. hæc enim ſunt ipſa uniuerſaliſſima. ſi autem hæc non ſunt; abeunt uniuerſaliſſima: aut ſequitur, nec ſcientiam eſſe, nec eiuſdem ſpeciei inter ſe res*

ipſas eſſe ſecundum naturam, ſed per concaſum, & inſtabilitatem, & fruſtra hæc cum his eiuſdem eſſe ſpeciei, cum alijs uero diſſimilis. niſi enim præexiſtat una forma, quæ participantia quidem ſimulis ſunt ſpeciei, non participantia uero diſſimilis ſpeciei; non uideo quæ erit horum effectiua cauſa, & cuſtodiam habens, & ineuitabilis. ueruntamen, ſi quis inſpexerit ad rationem, proxime quidem inſpici, & ſpecies & uniuerſalia ſimul ablata cum ſuppoſitione, & ſenſibilia entium, nihil minus circumſcripta. nam, niſi ſit per ſe unum in omnibus abſtractum, neque uniuerſalium aliquid eſſe poteſt, neque indiuiduorum. hoc quidem, quia unum et multitudo natura eſt. oportet autem præponere, quod tantum modo unum eſt. illud uero, quia multa & unum eſt conſiſtentia, & ſimul quia eorum, quæ in participatione ſunt, niſi quis addiderit unum imparticipatum, non erit cauſa unionis ipſis entibus; quemadmodum neque ipſius eſſe quouis modo entibus cauſam relinquunt, qui non ipſum ens principium omnium eſſe dicunt. nam quemadmodum bonorum rebus ipſis principium unum eſt ipſum bonum, quod neque alicuius eſt bonum, neque aliud quid præter bonum: & quemadmodum, quòd moueantur, omnibus cauſa eſt id, quod eſt per ſe mobile, huic uero ipſe per ſe motus, qui neque motus huius eſt, neque aliud quid præter motum: ſed, quod diximus, per ſe motus: habent quoque & cognoſcibilia omnia per ſe cognitionem principij: ſic omnia quidem entia, quatenus entia, procedunt ab ipſo ente: quòd hoc ipſum non eſt non aliud quicquam per ſe ens. quæ uero uniuntur, unionē ab uno abſtracto ab omnibus recipiunt.

QVOD uero, non exiſtente uno, ſubſtantia ſcilicet, nec numerus ſit ut ſeparata natura ab entibus.

SEQVITVR *quidem ex neceſſitate, nec numerum eſſe ſubſtantialem uno modo exiſtente, non tamen ob eam cauſam, quā*

illaturus eſt. eſt enim logica. ſtatim falſo aſſumit ex unitatibus conſtare ſpecificum numerum, & ſubſtantialem. etſi ex unitatibus quis ipſum eſſe conceſſerit, certe non ex ijs, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei eſt unum, de quo eſt ſermo. eſt igitur quodam modo uerum quod dictum eſt, quòd ad ſimilitudinem unius quocunque procedit. ſi igitur ſit aliquid abſtractum ab uniuerſis, erit & aliquis numerus ſpecies exiſtens intellectualis, & ſubſtantia maxime prima, & intellectualis. ſi autem non ſit ipſum per ſe unum, neque principium erit, principio autem non exiſtente, neque, quod eſt ex principio, ſubſiſterit.

SI AVTEM eſt per ſe unum & ens, neceſſe eſt ſubſtantiam eſſe unum & ens.

ETIAM *hoc recte dicit. communius uero pro uno ſubſtantia utitur: quoniam ſolum unum exiſtens proculdubio & ſupra ſubſtantiam eſt, ſiquidem ſubſtantia indiget uno, ut ſit. hoc uero non indiget ſubſtantia, ne pro uno unitum fiat.*

NON enim aliud quid prædicatur, ſed hæc ipſa.

NON *enim alia quædam exiſtentia uniuerſaliter de alijs rebus prædicantur, ut ſpecies, & genera. ſpecies enim diuerſæ exiſtentes ab indiuiduis prædicantur de ipſis, ſed ſubſtantia ipſorum ipſum unum & ipſum ens eſt. Vt igitur Socratem dicimus, non alterum de altero prædicantes, ſed ipſum, quod eſt, dicentes: ſic & ens, & unum, non alia exiſtentia de alijs, ordinamus, ſed hæc ipſa exponentes ſic nominamus. et eſt quidem uerum, quod dicitur: ſed oportet addere, quòd etſi non de alijs dicuntur, hæc tamen omnibus ea cauſa ut ſint, & uniantur, præſtituta ſunt.*

AT uero ſi erit aliquid per ſe ens & per ſe unum.

INCIPIT *ad oppoſitum argumentari, & dicit maxime dubium*

bium eſſe ipſum ens ſupponentibus ſermonem de ſubſtantia entium. quòd quidem profunda conſideratio ſit, quo pacto ex uno nullam duplicitatem nec multitudinis apparentiam habente in ſe ipſo, neque diuerſitatem omnia ſubſiſtunt, declarant Plotinus, Porphyrius, Iamblichus & omnes qui conſideratius circa hoc problema uerſari ſunt. nihilominus cauſam aſſignantes in ſimplicitate fœcũdiſſimam cauſam unius quæ ab ipſo proponuntur ſoluere conabimur.

QVOD enim eſt alterum ab ente non eſt.

SAEPE *diximus quo pacto Parmenides unum eſſe ens dicebat, quia omne intelligibile unitum eſſe per exceſſum putans, & unum ens dicebat eſſe. & quod eſt præter ens non ens, quod erat ſenſibile & quod non ens nihil, quia non indignitate par illi. neque eſt aliquid, ut ad illud, neque plus illud ſit hoc ſubſiſtente. nam quemadmodum Socrates unus manet etſi multas habeat imagines, ſic ipſum intelligibile unum manec etiam hoc mundo ſubſiſtente. qui nihil eſt, ut ad illud niſi quòd ab illo depẽdet & illinc habet, & quòd ſit, & perfectus ſit. ipſi uero nunc dicenti alterum ab ente non eſſe, nullus rationabiliter ſermone conceſſerit. primum enim non ſecundum totum intelligibile accipit entia, quæ ab ipſo nunc ſuppoſito dirigitur: ſed quod eſt ipſo ſupremum, quod nec intellectus eſt, nec uita quodam modo, ſed ipſum ens cui hærentia & proxima germina, diuerſa ab ipſo exiſtentia: nihilominus entia ſunt. deinde, ſi quidem conceſſiſſet & ipſe non eſſe entia ipſa ſenſibilia, oportuiſſet concedere propoſitionem dicentem, alterum ab ente non eſſe. ſed quia maxime omnium ut entibus credit, quo modo opportune hunc conſenſum receperit? neque igitur ipſum ens Parmenide aſſumimus neque non ens. quapropter illud concedentes his, quæ nunc argumentantur inſtamus.*

VTROBIQVE

VTROBIQVE uero difficile: ſiue enim non ſit unum ſubſtantia.

QVOD *quidem uno nõ exiſtente non erit numerus dictum eſt, & recte dictũ eſt. principio enim abolito neque ipſum unquã ex alio, neque aliud ex ipſo unquam generabitur. Sed cur etiam exiſtente non erit? nunquid per inuaſionem primæ ſuppoſitionis in Parmenide? ſi unum eſt, multa non ſunt: ſed ibi multa non quæ ab uno procedunt deſtruit: ſed quæ in ipſo uno ſunt. Vere enim ſi unum mere eſt, non utique hoc ipſum etiam multa ſit, multorum tamen cauſa numerorum intelligibilium & intellectualium. & mundanorum non prohibetur eſſe. hic uero accipit quòd id quod eſt præter unũ nihil eſt. omnia enim entia aut unum, aut ex unitatibus cõſtant. quapropter ſi quid eſt unum ab uno, alterum quidem erit ab uno. cum uero ſit alterum ab uno, nihil eſt. quod autem nihil eſt, eſt non ens: quoniam omne ens aut unum aut multa. quorum unumquodque unum. ſed dicimus quòd non eſt ab uno iam nihil. non enim ſi non eſt illud unum iam non unum aut nihil. ſed ſecundo unum et rurſus tertio. ubi enim & ultima ultimorum fragilia, & materialia ſenſibilium participant uno: aut ubi nam intelligibilium aliquod & diuinum priuatum eſt eo quod eſt unum eſſe? ſufficit igitur fæcũda unius cauſa, & non oportet quærere ex quo entia ſubſiſtunt. huius uero natura prima oſtenſa eſt.*

AMPLIVS ſi indiuiſibile ipſum unum.

IMPORTVNAM *quidem ipſe dicit eſſe rationem Zenonis deſtruentis naturam unius & puncti & cuiuslibet indiuiſibilis quia nec appoſita, nec ablata quantitatem ſubiectorum mutant. hoc enim dicens inquit, primum quidem omne ens magnitudinem eſſe putat, & hanc ſolidam. ſuperficies nanque & lineæ non omnino appoſitæ, aut ablatæ minuunt, aut augent ſubiectum. ſed ſi quidem ſecundum ipſarum extre-*

m

ma compoſitæ fuerint, augent aliter uero non. Deinde quia etſi non maius unitas facit quantum, plus tamen facit. Nos uero, cum aduerſus Zenonem multas faciat exercitatorias rationes, non ſtudioſe has aggredi putamus: niſi forte tantum innuat, quod indiuiſibilia naturæ non ſunt diuiſibilium. ſed hæc excedenda aliter ipſa finiunt & terminant.

SED quo pacto oportet ex hoc uno?

PRIDEM *quidem mirabile ipſum eſſe enunciauit, ſi & numerus ex huiuſcemodi uno ſubſiſtere poteſt. nunc uero adhuc inopinabilius dicit magnitudinem ex ipſo producere: ideo ſubiunxit.*

SIMILE enim eſt & lineam ex punctis eſſe dicere.

NOS *uero ipſam per ſe magnitudinem impartibilem eſſe, & diuinam, & intelligibilem, & in primis unitis entium illinc cum omnibus uere entibus ducere dicimus. ſenſibilem uero magnitudinem natura infert materiæ potentiam accipiens & ducta ab opificibus dijs, quorum pater unus & omnino opifex, genitor exiſtens bonorum. idem autem eſt dictu unius, cuius imitatione omnia unionem inferunt, his quæ poſt ipſa ſunt. quapropter ſi quia unita eſt & ipſa ſenſibilis magnitudo ex uno producitur. Quo modo primo ſimile eſt ex punctis lineam dicere conſtare? quod oſtenſum eſt maxime impoſſibile & ipſum unum uarias producere magnitudines. nihil ergo commune eſt, niſi quod quemadmodum alia omnia ueſtigium quoddam & ultimum ſimulachrum attraxerunt unius. ſic & punctum inter indiuiſibilia imitari uiſum fuerit ipſum unum: ſed quod imperfectum eſt, non eſt per ſe ipſum ſubſiſtens. & quod eſt, alterius eſt. eſt quoque infœcundum intelligibile. Illud uero cuiuslibet cauſa perfecti, & uere entis & in ſe ipſo manens maxime generatiuum, & exiſtens omnium uitæ, & intellectionis principium,*

pium. eſt autem ipſum melius his omnibus. quorum eſt principium.

AT VERO & ſi quis ſic putat ut fiat. quemadmodum dicunt quidam.

DUBITAT *aduerſus Platonem quo modo ex uno & intermi nata dualitate, quam non unum & inæqualitatem uocat, nunc quidem numerum facit, nunc uero magnitudinem. neque enim ſi loco unius numerum interminatæ dualitati coniunget manifeſtum erit quo pacto ex ipſa magnitudo ſubſiſtit. ad quæ dicimus, quòd intelligibilis quidem unitas et dualitas eum qui ibi eſt numeri generant. hæc uero reſpondenter illi ſenſibilem apud nos magnitudinem. eſt uero forma quæ apud nos ueluti unum & unitas materia uero eſt ultima interminatæ dualitatis imitatio. ex quibus magnitudo quæ hic eſt. ſi uero naturam uult per uim generatiuam ſecũdum unum ordinare & unitatem formam ipſam ſecundum numerum conſiderabis. quapropter magnitudo aliter quidem ex unitate, & interminata dualitate ſubſiſtere dicantur, non præbente ſe ipſam unitate conſtitutioni magnitudinis.*

HIS uero hærens dubitatio utrum numeri.

IN *expoſitione quidem problematum hoc eſt decimum ſeptimum. nunc uero eſt tertium ſupra decem ob cognationem puto ad id quod iam exercuit. Cum enim quæſiſſet in illo ſi unum & ens ſubſtantia quæ quidem principia eſſe intelligibilium ſubſtantiarum uidebantur. nunc ſi mathematicæ ſpeculationes circa ſubſtantiam uerſantur uolet conſiderare. dictum autẽ eſt in primis quæ quidem horum ſubſtantias. quæ uero oportet putare eſſe accidentia. ideo nunc argumentationibus eſt aduertendum.*

SI ENIM non ſunt.

SI QVIS *inquit non dicat has ſubſtantias nondum ſcimus, quæ ſit ſubſtantia. certe enim non albedo aut albatio ſubſtantia eſt. ſed hæc quidem paſſio ſubſtantiæ altera uero motus. ſed nec dextrum aut aliquid eorum quæ ad aliquid dicuntur, ſubſtantia eſt, nec ſanitas, nec rationes quæ ſunt de his. ſed hoc quidem ſubſtantiæ affectus, alterum uero uoces ſignificatiuæ. Ideo & in ſubiecto omnia hæc ſunt & nullum per ſe exiſtens. ignis uero, & aqua, & aer, & terra ſecundum qualitates quidem non ſunt ſubſtantiæ, ſed ſecundum corpus non affectum qualitate: quod & permanere dicimus ſub uarijs mutationibus, forte ſubſtantiale aliquid habeat. Verum etiam hoc uidetur magis eſſe ſuperficies & hac linea, & linea punctum, & hoc unitas. ubique enim finiens & terminans finito eſt magis ſubſtantia, & quod ſimul aufert quidem. non autem ſimul aufertur cum ſubſtantia prius utique ſit. Vnitas igitur omnia terminat. punctum uero quæ diuerſa ſunt. linea uero plana & ſolida, ſuperficies uero corpora. & cum non ſit unitas, nullum erit conſequentium: cum uero non ſit punctum, nullum erit dimenſorum: cum uero non ſit corpus, nihil prohibet eſſe ea quæ ante ipſum ſunt. ideo ſiue corpora ſint entia ipſa ſecundum naturales, principia corporum ſubſtantiæ ſunt ſiue numeri ſecundum Pythagoricos & principium numerorum ſubſtantia fuerit, & quæ unitati proxima ſunt. His uero ſic aſtructis, neutram rationum dicimus uim ueram habere, neque enim finiens ſemper finito eſt magis ens. ſed cum abſtractum ab ipſa natura ſe ipſum infert, ut ars & natura artificibus & naturalibus corporibus. non tamen cum ſe ipſum aliquid tradit ad terminatorum abſolutionem, nec ſemper quod ſimul aufert & non ſimul aufertur, magis ſubſtantia eſt eo, quod oppoſitum habet, quando hoc pacto lapides quoque magis eſſent quàm domus & ligna quàm nauis et omnino materia quàm formata. ſed cum non ſit aliqua pars eius*

quod ſimul auſertur id quod auſertur, nec elementum, nec extremum, aut omnino eorum quæ ſeipſa tradunt ad illius conſtitutionem. uera igitur genera priora ſunt ſpeciebus & ſubſtantia accidentibus ſuperficies uero ut debilior quidem. ſed ut magis ſubſtantia non prior. eſt autem manifeſtú quòd de ſuperficie inexiſtente ſubſtantiæ ſunt rationes.

AT VERO ſi hoc quidem conceditur.

SI HAEC *quidem ſubſtantiæ corporum ſunt, non autem hæc ſunt. non enim in ſenſibilibus ſunt corporibus, neque in aliis. oportet autem hæc eſſe in corporibus, ut aliqua quidem ſubſtantia ſint; Dicendum eſt autem quòd & in ſenſibilibus ſunt corporibus naturaliter & materialiter: ideo & non ſeruant naturam quam præ ſe ferunt. quemadmodum nec aliqua alia materialium formarum: nihilo minus ſunt in mathematico corpore. Quod etſi non ſit ſenſibile, ſaltem imaginabile eſt, & adhuc in rationibus opinabilibus & intelligibilibus ſpeciebus: et tamen cum ipſa tot modis ſint, non prohibentur & aliæ eſſe ſubſtantiæ ſecundum quemcunque ordinem entium.*

AMPLIVS autem uidentur hæc omnia diuiſiones exiſtentia corporis.

DIVISIONES *non ſunt ſubſtantiæ: diuiſiones autem magnitudinis ſunt. ſuperficies quidem in profundum, linea uero in latitudinem, punctum uero in longitudinem. non igitur hæc ſunt ſubſtantiæ. Dicendum eſt autem ad maiorem propoſitionem quòd diuiſiones quidem corporibus inexiſtentes ſingularium uerbi gratia numerorum minime ſubſtantiæ fuerint. ſed prima diuerſitas omnia diſtinguens & omnino diuina genera diuiſionis ſunt, quo pacto quidem non ſecundum ſpecies, & ſecundum ſubſtantiam ſtantem diuiſionem uniuerſis inferunt.*

AD HAEC autem ſimiliter ineſt ſolido quæcunque figura, aut nulla.

RATIO *eſt, neque figuræ quæ lapidi aduenire poſſunt, ſunt in ipſo, neque diuiſiones quæ nondum actu ſunt. ſi hoc, ſuperficies nulla fuerit. ad quod dixerit utique quis, quòd non neceſſe eſt, actu exiſtente potentiam etiam eſſe, aut hac nōdum exiſtente neque actum eſſe, eſſe autem unam actu, ut quæ bifariam diuidit cubum, nihil prohibet. infinite nanque diuiſiones, poſſunt. finitorum uero actu nihil prohibet etiā actu conſiderari.*

AD DICTA enim etiam quæ circa generationem.

ARGVMENTATIO *huiuſcemodi eſt. omnis ſubſtantia quæ quandoque quidem eſt, quandoque uero non eſt, per generationem quidem ad eſſe, per corruptionem uero ad non eſſe circunducitur. hæc uero extrema magnitudinum aut ſunt, aut non ſunt abſque tempore. non igitur ſunt ſubſtantiæ. et uidetur argumentatio ueritatem habere, quoniam & omnis quidem ſubſtantia quæ fit & corrumpitur, indiget materiali cauſa. hæc uero non ſunt materialia. coniecturam uero huius, quòd non prius exiſtens punctum, & ueluti latens poſterius emergat, facit illud. diuiſa linea duo puncta fieri. certe enim non unum exiſtens in duo diuiſum eſt, cum indiuiſibile ſit. Sed ſcilicet cum non eſſet prius abſque tempore et abſque generatione ex diuiſione ſubſtiterunt.*

SIMILITER autem ſe habet & circa ipſum nunc quod eſt in tempore.

QVÒD *ſunt quædam quæ cum non ſint prius ex generatione emergant & abſque corruptione euaneſcunt, & nullum horum ſubſtantia eſt. teſtatur inquit ſecundum temporalem diuiſionem ipſum nunc, cui & punctum aſſimilatur. nullum igitur ſubſtantia eſt horum. Ad quod dixeris utique quòd*

etſi

etſi non ſint hæc ſubſtantia, eſſe tamen entia non prohibentur. dicitur enim ens multis modis.

OMNINO autem dubitauerit utique quis.

HAEC *ſeorſum quidem in primis non proponebat. uidetur autem eſſe pars quinti. dubitat autem in hoc aduerſus ideas: aut noni, etenim in illo aduerſus illas dubitauit. Aſtructio uero totius rationis huiuſcemodi eſt, ſi ob hoc præter ſenſibilia & mathematica ponimus eſſe ideas, quando ſenſibilia quidem ſingula multa ſunt. multa enim triangula ſunt, & circuli & ſphæræ & pyramides. opus eſt autem nos non ſtare in multitudine, ſed ad quorumcunque deuenire unitates, unum hominem, unum triangulum, unum circulum, neceſſe eſt unamquanque ſpecierum unam eſſe numero, ſed non poſſunt principia unum eſſe numero ut oſtenſum eſt in decimo problemate. non igitur poſſunt eſſe ſpecies ad quod dixeris utique quòd forte quidem neque materiales cauſæ oſtenſæ ſunt omnes, non potentes numero terminari, ut inquit Empedocles, ſed ſi forte in his principijs quæ in ipſis operatis exiſtunt impoſſibile uiſum eſt principia terminum habere numeralem, non utique etiam in generatiuis & ſupremis cauſis argumentationes illæ locum habent. nam etiam hoc pacto neque qui ſecundum ipſum ſeparabiles numeri facti fuerint. ſi ſint terminati. hoc quoque falſo ſumptum eſt, quòd ob hanc ſolam cauſam ad ſpecies recurrerint, ueritatis grati ſpeculatores, quòd tamen omne quod habet ſpecies ſubſtantiam & nihil ſecundum accidens etiam nos recipimus.*

PROPINQVVM autem his eſt dubitare.

HOC *etiam in expoſitione problematum quintum decimum eſt. quærit autem in ipſo, utrum potentia ſint, aut actu. Illud enim aut quodam altero modo, actu ſignificatur, occultans ſtudioſe, ut puto, hoc nomē ne auferat dubium problematis.*

blematis. quis enim perfectum imperfecto non dixerit eſſe principalius? ob eandem quoque cauſam etiam non dixit cauſas aut principia, ſed elementa, in quibus uere multa eſt imperfectio. ſed quo modo res ſe habeat diximus in primis.

Si enim aliter quodam modo, erit aliquid aliud principiis prius.

Ac si diceret. ſiquis enim ponet eſſe principia, quoniam omne id quod actu eſt, potentia præcedit, erit aliquid ante principia. occultauit eodem modo etiam nunc nomen actus cum hoc, quòd argumentum etiam eſt logicum. nam in quocunque generabilium ante id quod actu eſt, eſt id quod potentia, non in uniuerſis, neque in diuinis, ut ipſe nos in alijs docuit.

Possibile autem non eſt neceſſarium illo modo omne ſe habere.

Nam *omne, inquit, quod potentia eſt, neceſſe eſt actu factū iri: quod autem eſt actu nunc prius erat potentia.*

Si autem elementa ſunt potentia contingit nullum eſſe entium.

Ad oppositum *argumentatur, quòd non oportet potentia elementa ſupponi. probatio uero huiuſcemodi eſt. quod poſſibile eſt, ſolum fit. non enim impoſſibile, neque quod iam eſt. quod fit nondum eſt. quod nondum eſt contingit non factum iri. quapropter ſi principia potentia ſunt, contingit nullum eſſe entium ex ipſis. exponit autem minorem probationem hoc pacto. nullum impoſſibilium fit, cui æqualet illud, ſolum fieri quod poſſibile eſt. Mediam uero ſic. quod enim fit, eſt non ens. nam quod fit, non ens eſt. ideò nec quod iam actu eſt, eſſe quod fit, diceret quis. Quod autem contingat*

tingat quod nondum eſt, nec factum iri, ut manifeſtum compoſuit his propoſitionibus. Quoniam & hoc eſt ei poſſibile eſſe, natum eſſe ad actum procedere, non omnino tamen euenire. hæc uero omnia magnam habent uim, ſi quis omnia principia poteutia dicat eſſe, & nullum actu.

E T V E R V M uniuerſalia ſint, aut ut dicimus ſingularia.

E S T *quidem hoc quartumdecimũ in primis ſermonibus, eſt autem fere idem decimo. quærit enim etiam hic, uniuerſalia nec ſint principia, aut indiuidua. quod idem eſt fere cum illo, ſpecie ne ſint terminata, aut numero. dicit autem quòd ſi uniuerſalia ipſa ſupponamus, ſubſtantiale ipſorum auferimus. uniuerſalia enim non ſunt ſubſtantiæ. Tres ad minus ſubſtantiæ eſt ipſe Socrates, indiuidua, ſpecifica generica. ſi autem non uniuerſalia ſint principia, aut ignota ſunt, aut habent aliquid ante ipſa: quorum utrunque abſque ratione eſt. ſi enim non cognoſcuntur principia, per uniuerſalia cognoſcuntur. nam hoc pacto tantum indiuidua ſunt ſcibilia. erit ergo aliquid ante ipſa ipſorum comprehenſiuum magis. dictum eſt autem ſæpe quòd & ſuper indiuidua & ſuper uniuerſales rationes & effectiuas & noſcitorias ſunt propria principia, ſed quæ dicuntur nullam habent neceſſitatẽ. neque enim omne uniuerſale abſque ſubſtantia eſt. non enim eſſet aliquod uniuerſalium æternum. & fabricatiuum ipſius ſingularis. nec ſingularia per uniuerſalia cognoſcimus, ad nullum poſterius genitum uniuerſale effugientes: & immobilibus generibus ipſe non utique dixerit uniuerſalia aliqua ſuperuenire. Sed hæc fere dialecticis argumentationibus utens, ut & Alexandri commentarium annotauit, pertranſiuit philoſophus: ſed decimam ſextam in expoſitione problematum conſideratiõẽ.*

Vtrum

Vtrum moueantur an immobilia ſint principia neque in his pertractauit. Cum igitur appoſuerit ſeptem & decem problemata ordine quo exponimus, ſextum quidem & ſextum decimum non pertractauit ad utraſque partes argumentando. ſextum quidẽ, quia etiam præter iam dictas cauſas præacceptum eſt. Cum enim quæſiuit, an non ſubſtantiarum tantum, ſed etiam per ſe accidentium ipſis primus philoſophus ſciens eſt, quæſiuit quo pacto: etſi de eadem & ſimili & æquali & oppoſitis his pertractabit. hæc enim erant per ſe accidentia enti quatenus ens. decimum ſextum uero, quia cum ubique conceſſiſſet quædam entium corruptibilia eſſe, quædam uero æterna, habebat neceſſe ſequens hoc: principiorum hæc quidem moueri, illa uero immobilia eſſe. manifeſtum eſt autem quæ quorum. quod enim amborum non eadem mediocriter annotauit. Reliqua uero quindecim apponens in pertractatione problematum, decimum quartum aduerſus ideas inſtans omnia ſexdecim ad exercitium logicum produxit. quorum quædam in tertio diſcuſſione digna putabit, quædam uero in ſexto, ſeptimo, octauo, nono: plurima uero in undecimo. Aduerſus uero ideas & numeros in duobus ultimis libris duodecimo & decimotertio diſputare tentabit.

SYRIANI PHILOXENI IN LIBRVM DVODECIMVM METAPHYSICES ARISTOTELIS,

Interprete Hieronymo Bagolino, philoſopho præſtantiſsimo,

COMMENTARIVS.

NON SVM *ex his qui ſe à quopiam odio haberi ſtudeant: uerum nec ex his qui in logicis, aut quibuſuis alijs Ariſtotelem præceptorem inſcribunt: ſed ex his qui & logicas eius doctrinas penitus admirantur, necnon & morales & naturales eius tractatus ſublimiter recipiunt. & ne omnia nunc enumerans quæcunque uir iſte rectiſſime et optime philoſophatus eſt, uidear eſſe prolixus, quotus quiſque recte ſentientium, non quæ in hoc perfectiſſimo negocio de materialibus formis et definitionibus recta conſideratione dicta ſunt, nec non de diuinis & immobilibus cauſis ab uniuerſo mundo ſeparatis demonſtrationibus locum ad hoc habentibus tradita ſunt, & ſi qualibet compoſitione & diſcurſu craſſiori ſublimiora eſſent, iure admiratus fuerit? & huiuſcemodi conſiderationis ductorem humanæ uitæ opificem appellauerit? De his igitur et à nobis et ab his, omnibus qui eius ſolertiam perſenſerunt, magna & debetur gratia. Verum cum acciderit plerunque ob quaſdam cauſas, & in alijs diuini negocij partibus, preſertim uero in poſtremis duobus libris, quorum unus μ, alter ν, apud Græcos incribitur, magnum quendam diſcorſum feciſſe ipſum aduerſus Pythagorica & Platonica principia. nihil profecto fidedignum ſufficiens ut*

aduerſus ea dicentem, immo nec in multis eis ſi opus eſt, uerum abſque excuſatione occurrentem. Cum tamen proprijs ſuppoſitionibus contradictiones producat, æquum uiſum eſt ſimpliciorum auditorum miſeratione, ne iuſta uiri opinione occupati, in aſpernationem diuinarum rerum, & diuinæ antiquiorum philoſophiæ perducerentur, examinare pro uiribus quæ dicta ſunt modo iudiciario pariter et integro, oſtendereq; Pythagoræ & Platonis de principijs conſiderationes irredargutas et impermutatas permãſiſſe, Ariſtotelis argumentationes ſæpiſſime quidem extra propoſitum occurrentes, et in nullo diuinis illis uiris accommodatas dubitationes perſcrutantes. cum tamen raro in eas dicere & inuehi ex animo proponerent redargutionẽ nec minorem, nec maiorem afferre potuiſſe. & hoc neceſſario contigit. uerum nanque Platonis illius diuini ſententia nunquam redarguitur, unde & manifeſte conſtat. Cum rationes de principijs rebus ipſis ſimiles reddiderint ipſorum patres permanentes & impermutabiles (ut decens eſt rationes eſſe) illas conſtituiſſe. Proœmiorum ſatis hæc ſunto. Sed cum intentionem tractatus noſtri & promiſſionem dixerimus, opportunum eſt ipſa aggredi certamina. ceterum ſeu omnino nos certatores appellare uoluerint ueluti accuſationibus, quæ in rectiſſimam inter philoſophias & optimam feruntur, reſpondentes, ſeu arbitros ſimpliciorum & intellectualium magis apprehenſionum ſpectatiuæ Pythagoricorum conſiderationis, & eorum quæ à grauiſsimo inter eos qui unquam narrati ſunt, Ariſtotele aduerſus illas logice potius dubitata ſunt; non effugiemus nominis impoſitionem. modo liceat in illis iuſte, prudenter, & ut ueritatis amatores uerſari. Eſt uero inde auſpicandum. Cum ab initio libri Ariſtoteles dicat opus eſſe quæ de principijs immobilibus ab alijs oſtenſa ſunt, examinare & perſcrutari, duas quidem dicit eſſe opiniones de principijs; & illam quæ mathemata ueneratur ſeparabilemq;

lemq; illis ſubſtantiam attribuit; & illam quæ ideas ſummo honore proſequitur, omniaq; per illas & ad illas ſubſiſtere exiſtimat. ſibi uero tria eſſe propoſita conſideranda. primum quidem an mathemata ſint, & quo pacto ſint. ſecundum an ſint ideæ, & ſpecificus numerus. tertium uero, an numeri et ideæ entium principia ſint. poſt hæc reſumens dicit, de primo redarguens quidem (ut putat) eos qui mathematis diſtribuunt. ſuam uero de his opinionem extollens quæ ex abſtractione ſenſibilium interuallorum & figurarum qualemcunque mathematis ſubſiſtētiam præbet. ſed priusquam in ueriores ſua opinione argumentationes aggrediamur, ſatius fortaſſe fuerit ueram tradere de his ueteris philoſophiæ ſententiam, ut intueri liceat ipſi ne ſpeculationi diuinorum hominum criminatorius repugnet ſermo, uel proprijs ſuppoſitionibus innixus quæ dicta ſunt inique euertere conetur. Diuinus Pythagoras & omnes qui legitime illius dogmata puriſſimis ſinibus ſuarum mentium ſuſceperunt, multos dicebant eſſe ſubſtantiarum gradus intelligibilium, & intellectualium, cogitabilium & naturalium, aut omnino uitalium & corporearum. nam & rerum proceſſus & connata proceſſibus ipſis diminutio, quæ ordine quodam diuino perficitur, & uis diuerſitatis in generibus entis multitudinem continuam pariter & diſcretam conſtituunt incorporearum & ſenſibilium percutientium ſubſtantiarum. tres itaque in latitudine entium gradus eſſe dicebant, intelligibilem, cogitabilem, ſenſibilem. ſingulis uero ideas eſſe omniquaque quidem, ſed proprie ubique cum exiſtentiæ proprietate & intelligibiles quidem eſſe apud deos, & cauſas eorum quæ conſequuntur effectiuas, ſcilicet & exemplares & finales. nam ſi hæc tria quandoque concurrunt et uniuntur inter ſe, ut & Ariſtoteles dicit, proculdubio non in infimis naturæ operibus hoc fieri ſpectabitur. ſed in primis & optimis omnium cauſis quæ ob fœcunditatem & opificium

uim habent omnium generatiuam, ob id autem quòd generata ad ſe conuertunt, & ſibi ipſis reddunt ſimilia omnium exempla ſunt. Cum uero gratia ſui, ſuæq; bonitatis agant, ut inquit Diuus Plato, nō ne finalem cauſam præ ſe ferunt? Cum ergo intelligibiles formæ huiuſcemodi ſint & tot bona uniuerſa exponant diuinas complent diſpoſitiones, etſi plurimum circa intelligibilium ordinem qui in opifice eſt conſiderentur. cogitabiles autem eas imitantur, quæ ante ipſas ſunt & animæ diſpoſitionem ſimilem reddunt intellectuali, omniaq; ſecundo loco complectuntur. operantur porrò, & ipſæ eum apud cæleſtes & felices animas conſiderant, apud nos uero cognoſcibiles tantum ſunt, qui conſiderationes tantum non uires operatiuas ob uolatilem fluxum habemus, ſiquidem & quod noſtrum eſt ſimul, atque perfectum eſt, & ad uolitationem exutum ſuperiora inhabitat, & uniuerſum mundum unà cum diuinis gubernat. Teſtatur hæc & in Phædro Socrates. Has quippe cogitabiles formas in Timæo quod Plato manifeſte dicit opificem animabus impoſuiſſe proportionibus geometricis aritmeticiſq; necnon & muſicis ipſas diſponentem, ſed in de republica in ſectione lineæ imagines eſſe intelligibilium, & hac de cauſa ipſas plerunque intellectuales appellare non indignum putauit, cum ut exempla ſenſibilibus præſtent. In Phædone uero reminiſcentiæ nobis cauſas fieri. diſciplinas enim non eſſe aliorum reminiſcentias quàm formarum quæ mediæ ſunt (idem autem dictu eſt) ſtantium uniuerſalium rationem quæ poſterius genitæ ſunt, ſed ſecundum ſubſtantiam inanimabus præexiſtunt, à quibus & inſpirate & ductæ rationes naturæ ſingula operari poſſunt. Age enim in cæleſti anima omnium in ſphæra maximorum circulorum mutua in genitiuas partes diuiſio actiuo præeſt & opificio modo, ut et in nobis noſcitorio tantum. Sed in ipſo cælo Zodiacus & Aequinoctialis & meridianus fortaſſe et Orizon-

tes ſe mutuo bifariam diuidunt. anima quidem ipſa unite omnia & comprehendente ſuis intellectionibus & operante, cæleſti uero corpore partite ea tantum quibus indiget recipiente. quapropter & ab aſtronomis ex uniuerſalibus & particularibus propoſitionibus demonſtrationes fiunt, ex uniuerſali quidem cauſam habente, cum in anima quæ omnibus eſſe præbet, præexiſtat; particulari uero ex ſenſibilibus ſumpta. repoſuit nanque in ſenſibilibus omnia, ut dederat magnus Vulcanus fabricans, ut poeſis diuina inquit, bullas, tortuoſasq; hederas, portusq; in ſpelunca cælata. Hæ igitur ſunt triplices ideæ, quas Pythagorici ſenſibilium inſeparabiles cauſas eſſe putabant, ultimas formarum ſeparabilium imagines exiſtentes, ob quod eiſdem etiam nominibus ipſas appellari non indignum exiſtimabant. his denique anima quæ generationem deſcenderat expergefacta & excitata ad reminiſcentiam progreditur mediarum formarum. reducit quoque proprias rationes ad intellectualia & prima exempla. & hoc pacto uiſus auditusq; conferunt ad philoſophum & animæ reductionem. His hoc modo præacceptis non diſſentiunt Plato & Pythagoras, quiq; ab ipſis processerunt inter ſe, circa idearum ſuppoſitionem, ut inquit Ariſtoteles. Sed Pythagorici quidem cum primi de ſenſibilibus diſputarent, eiſdem nominibus utebantur ſimilitudine quadam ad medias primasq; rerum ipſa transferentes. unde & uiſum eſt ne Ariſtoteli dixerim. Sed his quique illorum ſunt, leuius enarrarunt de ſolis inſeparabilibus formis diſputare. quidam uero circa medias animæ rationes uerſati ab ipſis ut imaginibus de intelligibilibus demonſtrabant. Vt autem ab exemplis de formis quæ in ſenſu feruntur, qui & multis uidentur ſolam mathematicalem ſubſtantiam uenerari cum iiſdem nominibus primas, medias, & ultimas formas tradiderint. Aliis uero adhuc peruerſe magis uiſi ſunt quidam confundere in eadem & coniungere intelligibi-

les

les & cogitabiles formas, cum nihil tale huiuſcemodi conſiderationis præceptores paſſi ſint, ſed falſa potius quibuſdam ob nominum communitatem ingenita ſit ſuſpicio. At Plato etiam in his ſuum in homines amorem oſtendens nominibus quoque intelligibilem & cogitabilem ſubſtantiam diſcreuit, ut ne dormientes quidem ipſum obaudire poſſent. Iccirco & Ariſtoteles ut duas ipſum ſeparabiles ſubſtantias ſupponentem dirigit, ſed iure ne an iniuria iam omnibus prudentibus clarum eſt, ſed demonſtrabit ut puto clarius mediocriter examinatus ſermo. Cum igitur tantum prædixerimus quòd neque circa idearum ſuppoſitiones uiri illi diſſentiunt, & ſi alijs aliter de ipſis demonſtrarint, & qui unum quemuis ipſorum oppugnat, omnibus idearum amicis contradicit. proſequamur deinceps Ariſtotelicæ contradictionis ordinem atque diuiſionem. & propoſitæ quidem ſint ei tres quæſtiones, an ſint mathemata, & quo pacto ſunt. an ſint ideæ, & idearum numerus. an ſint hæc entium principia. diſputeturq́; in libro μ, de duabus prioribus, in libro autem ν, de tertia, duarum uero altera, quæ de mathematum exiſtentia uel non exiſtentia præcedat. Sed conſideremus nos an aduerſus ſeparationem ſubſtantiæ mathematum ſufficienter inſtet, quæ pars quidem eſt uniuerſalium rationum & mediarum formarum animæ. ſed ad oſtenſionem totius naturæ intellectualis à diuinis uiris conſueuit aſſumi. Vtitur ergo Ariſtoteles redarguens ipſorum ſubſiſtentiam argumentatione diuiſoria huiuſcemodi. Si enim, inquit, mathemata ſunt, aut in ſenſibilibus neceſſe eſt ipſa eſſe, quemadmodum quidam dicunt; aut à ſenſibilibus ſeiuncta. dicunt quoque hoc pacto quidam, quòd ſi neutro modo, aut non ſunt, aut aliò modo ſunt, & diuiſione recte uſus eſt, præter hoc quod ſupponunt quoſdam in ſenſibilibus ipſa permittere, quodq́; ad ſuppoſitionem ſequitur optime eſt conſpicatus, & dixit. nam ſi nec ſepara-

bilia

bilia, nec inſeparabilia à ſenſibus ſint, neceſſe eſt aut nullo prorſus modo eſſe ipſa, aut alio modo qualemcunque ſubſiſtentiam ſumere, hoc eſt ex denudatione in nobis generari, ut etiam ei uidetur. oppugnat autem & inſeparabilia ipſa à ſenſibus eſſe, & ſeparabilem habere ſubſtantiam, aut ut omnino non ſint, ut uulgatiſſimus Cindapſus, aut ut uincat eius ſententia ex abſtractione ſenſibilium ipſa ſumi. Confertur autem his primo qui ipſa à ſenſibilibus minime ſeiũgunt hæc aduerſus eos ſcribens.

QVOD igitur in ſenſibilibus quidem impoſsibile eſt eſſe uſque ad illud. diuiſis enim ſenſibilibus diuidentur, aut neque ſenſibiles.

IN HIS *ſeu ualide, ſeu molliter perſeueret, ad uerbum nihil. nam nec Pythagoreorum quiſpiam, nec Plato ipſe, nec aliquis Platonicorum qui cum ſecuti ſunt, geometricas figuras & magnitudines in ſenſibilibus locauit. Sed ſi Seuerus aut alius quis eorum qui poſterius dicta Platonis expoſuerunt ex ipſius Ariſtotelis eruditione ad demonſtrationem naturalium cauſarum mathematicis abutuntur, nihil hoc ad antiquos, quorum nunc opiniones conatur redarguere. Iccirco ab illis nihil de his ad ipſum dicetur. At, quoniam miſiſti nos iterum ad eas etiam quæ in ſecundo poſitæ ſunt dubitationes, dicendum eſt ad ea quæ ibi dicta ſunt, quòd nec duo ſimul ſolida eſſe iuxta omnes impoſſibile eſt. nec in Stoicos reſpiciens inſtantiam quis ſermoni attulerit, qui moles etiam materioſas ſe mutuo permeare non negarunt. ſed ad illos potius qui ſpatium per uniuerſum mundum permeare ſupponentes, et omnem in ſe naturam corpoream recipere, ipſum minime aerem diuidere, aut ab aere diuidi dicunt. & alijs corporibus condiuiſum, ſed indeclinabile & fixum, & ab omni mutatione exemptum per uniuerſum mundum extendi, locum & receptaculum terminum*

&

& circumſcriptionem, & cetera id genus alijs ſenſibilem mundum complentibus afferens. Hi itaque huiuſcemodi corpus reſpicientes ipſum equidem mathematicum eſſe non dicunt, ſed ſimile mathematico, quatenus immateriale, & immobile & tactus expers & à contrarietate ſolutum eſt, & ab omni paſſiua qualitate depuratum. præterea quemadmodum mathematicum corpus cum promouetur, rationi in intellectu, ſubſiſtit in ſpiritu & imaginatione ea quæ eſt in ſpiritu (nam ſimul ratio ſphæram fortaſſis aggreſſa fuerit, imaginatio quoque cum immateriali mole mathematicam ſphæram inſpexit) ita profecto, & uoluntate, & intellectione mundanæ animæ ſphæricum hoc in uniuerſo ſpatium cognatam recipit ſubſiſtentiam, cum anima ob id quidem quod ad intellectum recipit, ſphæricum ipſum faciat. ob id uero quòd omnes formas intuetur, receptiuum omnium corporum, ideis cuiuſque & uniuerſorum ut uno, ſiquidem eius intellectiones, & continuæ ſunt & tranſeuntes, quia intelligibiles formæ quæ in perfectiſſimo animali ſunt, & unitæ & ſeparatæ ſunt, etſi una omnes natura amplectitur. Quarum certe imitationes ferens mundus dimenſe ipſas, & non abſque magnitudine ſuſcepit. Sed quorſum uniuerſus hic ſermo excitatus eſt? ut intueri liceat non eſſe impoſſibile horum uirorum ſententia, aut eorum qui immaterialia, & ſimplicia corpora ſe mutuo abſque diuiſione permeare exiſtimarunt duo ſimul fieri ſolida corpora, ſed duo quidem materioſa & contraria eundem occupare locum maxime dicunt impoſſibile eſſe: ſed immaterialia luminibus eſſe ſimilia quæ à diuerſis facibus emittuntur, & per uniuerſam eandem domum ſimul incedunt, & ſe mutuo abſque confuſione & diuiſione perambulant. nam etſi hæc incorporea uelit quis dicere, ſaltem cum corporibus ipſis coemenſa, & coextenſa ſint in tribus dimenſionibus, non prohibentur eundem & ſibi ipſis, & corporibus locũ habere non ob aliud

niſi

niſi quia & ſimplicia & immaterialia ſunt, & cum diuiduntur non recipiunt partitionem. cum autem ſui principio coniuncta ſint & ab ipſo dependeant, adſunt illo ſplendente, abeunteq; ſimul recedunt. quæ certe etiam immaterialia corpora ab animabus pendentia facere minime prohibentur. Hæc igitur diximus ne terreant nos more laruarum admirandi naturalium ſermones, qui quæ propria ſunt materialium & paſſiuorum, & contrariorum corporum ad uniuerſam dimenſam naturam transferunt. nam principali conſcripti huius propoſito ea nihil conferre prius diximus, nec à Pythagoricis aut Platonicis ad ipſum aliquid de his dicetur, cum neque aliquid eorum, quæ in his illi opinati ſunt dirigere emtatur, neque ipſe Ariſtoteles nunc eos qui ſpatium uenerantur oppugnet: ſed eos, qui alia quædam in ſenſibilibus corpora reponebant, ſolida ob id quòd trifariam dimenſa ſunt, & mathematica: quia immobilia prorſus ſunt, in qua ſuppoſitione nullum ſcimus inſignium philoſophorum perſtitiſſe. nam & quæ in Timæo figuræ quinque dictæ ſunt, quæq; ad elementorum mundanorum formationem ſumptæ ſunt, nominibus quidem mathematicis explicantur, actinas tamen & opificias naturæ potentias occulte innuunt: ipſum quoque luminoſum quod in nobis eſt uehiculum, ſi quis trifariam enunciet dimenſum eſſe, nec reſiſtens, non ob id geometricum eſſe hoc corpus aperte aſſerit. nam quo pacto quod uita & motu plenum eſt, & omnium quæ noſtra ſunt maxime mobile (motu dico Ariſtoteli cognito) ut immobile inter geometrica collocabitur? Sed plane oſtendit ſe dæmonius Ariſtoteles flagitioſam ſuppoſitionem adniti redarguere. at noſter ſermo uni dictorum eius inſtantiam afferre. quippe quod non in omnibus ſimpliciter & abſque additione uerum ſit: quoniam & quod ad hoc conſequenter dictum eſt, eiuſdem rationis & alias eſſe potentias, & naturas in ſenſibili-

bus, & nullam ſeparatam, uult ſignificare terminos horum ut ſuperficies & lineas, niſi forte quæ perſpectiuæ & muſicæ & cognatis ſcientijs ſubijciuntur ſe comprehendere, nullam uero nec qualemcunque neceſſitatem eis infert huius, quod nullam horum ſeparatam naturam ponant, niſi forte in ſolis ſenſibilibus hæc eſſe ſupponant: ſed non in immaterialibus & extra ſenſibilia, in quibuſdam rationibus hæc ipſis perficiendi uim habentibus, & hæc quidem dicit in ſecundo aduerſus ipſos dicta eſſe. Quod uero nunc increpat, huiuſcemodi eſt. Si quod eſt, inquit, in ſenſibili ſolidum diuidatur, ſuperficie omnino diuidetur. igitur & ſuperficies linea, & linea puncto. immobilia hæc ut ſunt apud geometras, nullum utique abſurdum ſequitur. Sed cum in ſenſibilibus nunc & naturalibus ſupponantur eſſe corporibus, cum mouetur linea per diuiſionem naturæ eſt & punctum diuidi, nulla uero differentia eſt, ſiue ipſa naturalia puncta impartibilia eſſe dicamus & indiuiſibilia, ſiue in ipſis hæc puncta eſſe. notum enim eſt, quod in aliquo eſt non diuidi abſque ſubiecto, cum ut in ſubiecto in aliquo eſſe dicitur. Hæc quidem Ariſtoteles, ſuppoſitionem omni prorſus perſuaſione uacantem, ſimul & falſam oppugnans uiriliterq́; & demonſtratiue ipſam redarguens. Nos uero ſuſpicamur ne cum ab aliquo antiquiorum impartitam quidem exiſtentem naturæ rationem. partitam uero circa corpora omni quaque indimenſa ſimul & impartitam dici inueniſſet occaſionem habuiſſe fingendæ ſuppoſitionis huius, niſi forte etiam, ut perfecte uniuerſam diuiſionem pertractaret, cœpit aliquid aduerſus hanc opinionem dicere. ſed quia diſputatum iam eſt aduerſus eos qui quæ geometriæ & alijs mathematicis ſcientijs ſubijciuntur in ſenſibilibus reponebant, uideamus quo pacto his applicat ſe, qui ipſa à ſenſibilibus ſeparant.

AT VERO nec ſeparatas eſſe huiuſcemodi naturas poſsibile eſt, uſque ad illud, quapropter erunt genera mathematicorum numerorum.

IN HIS profecto ſuppoſitionem antiquioribus eo placentem redarguere tentat, ſed nihil dicit aduerſus eam demonſtratiuum, ſed quæ uulgarem forte hominem & eorum ſententias non inſequentem perturbare poſſent. Dicit enim ſi erũt corpora alia à ſenſibilibus, erunt & ſuperficies geminatæ, & quæ ſcilicet in illorum corporibus ſunt, & quæ ſeorſum, & lineæ triplatæ, & quæ in ſolidis, & quæ in ſuperficiebus, & quæ ſeorſum, & eadem ratione puncta quatruplata, unitates uero priores punctis quincuplatæ, & omnino quæ priora, & ſimpliciora ſunt multipliciora ſemper. Hanc quidem calumniam penes multam dogmatis inanitatem operatur. ſed non eſt deductio, ad abſurdum: recipient enim uiri in ſubſtantialibus animæ rationibus, & diuiſim hæc eſſe & unite. nec abſurdum aliquod eſt punctum, uel potius puncti rationem & conſequentibus mixtam non eſſe, & ad lineæ ſuperficiei trifarieq; dimenſi cauſationem utilem eſſe. Incorporalium nanque formarum unionem ſparſionemq; ubique fere uiri confirmant & uenerantur, idemq; unum & multitudinem eſſe (fortaſſe etiam in ſenſibilibus conceſſum) preſertim in cogitabilibus formis, & adhuc multo prius in intellectualibus lucidiſſime ab antiquioribus monſtratum eſt. nos quoque in his quæ in ſecundum à nobis ſcripta ſunt mediocriter meminimus, ubi quidem, & quòd linea ſuperficieq; honorabilius punctum ſit atque perfectius, quodq; imperfectius, & infirmius dicere tentauimus. nam nihil uetat hoc quidem, ut ſimplicius præſtantius eſſe & principalius. alterum uero ut pote, quod ad compoſitoris terminum circumſcripturamq; confert, eſſe deterius, quemadmodum & unitas hæc quidem omnis numeri in ſeipſa exemplaris modo, ſpecies omnes parium & imparium comple-

ctens. altera uero pars fortaſſe ſubmultiplex, ſubiectæ numeris qualitates. eſt ergo de ipſis dicta ueritas. At ſi quis etiam immoderate uulgarem hanc calumniam formidans non concederet multis modis eſſe rationem dimenſorum in anima, poſſet, & ipſe ei dicere, non eſſe neceſſarium quatuor eſſe puncta, tres ue lineas, aut duas ſuperficies. ſed quemad modum a elementum, & in ſyllaba, & in dictione, & oratione unum idemq; exiſtens ſpecie conſideratur, & eandem ubique naturam habet, ſic & punctum, & linea & per ſe & cum compoſitis unam eandemq; ſpeciem obſeruant, & quemadmodum grammatica uim ipſius a ſeorſum exiſtentis intelligens nouit, & quod in ſyllaba, & oratione hoc modo etiam inter ſcientias mathematicæ quæ ſeorſum ſunt, ſcientes etiam quæ cum alijs ſunt cognoſcunt. Reſpondeatur quoque ei ad ineuitabilem, ut putat, propoſitioně. nam interrogauit circa quæ horum ſcientiæ uerſantur. ſed unde quæſo multa eſſe mathematicorum numerorum genera colligit? eſſe enim multa numerorum genera concedendum eſt, quatenus ordo entium unuſquiſque proprijs numeris diſtinguitur & perornatur. mathematicorum uero genera ſi ſolos eos, qui ex unitatibus componuntur, mathematicos dicat quis, ſed non ipſorum, quæ eſt in intellectu, quo pacto multa fuerint? niſi forte et puncta unitates eſſe uelit, & ipſis quatuor modis inſpectis ex omnibus numeros complectatur: ſed hoc cauillum potius ſit quàm argumentum.

AMPLIVSQVE, & in dubitationibus pertractauimus uſque ad id, cur aliud quoduis habens motum.

C V M *uniuerſales omnes formæ in diuinis & cæleſtibus animabus, nec non & noſtris proprie præter ſingularia contineantur, prius quàm quod mundi corporeum eſt particulariter ipſas comprehendat. Ridiculum eſt in unoquoque quærere ubi erit aliud cælum, aut ubi erit alius Sol. aut aliquod*

eorum quæ ad manifeſtam diſpoſitionem conferunt. uerum quia hæc non ſingulariter, ſed, ut ita dicam, in mentibus infinities ſunt priſcorum, & antiquiſſimorum theologorum & philoſophorum aſſerentium, non uult hæc proſequi, ſed illud ut abſurdum adducit, unum cælum ſolum ſuper hoc ſenſibile cælum eſſe. At ſi quis ſuper cælum de aſtris conſiderare dicat animam eius qui non ſenſuum adminiculo philoſophatur, & omnia entia intellectualiter ſpecularit, fortaſſe moleſte feret, ſi nec ideis aſſentiat nec actu intellectualem animam ſpecies habere uelit, ſed potentia tantum. Quo pacto igitur amplius demonſtrationes ex primis & proprijs & cauſis erunt apud aſtronomos? niſi ex uniuerſalibus rationibus quas habent noſtræ quidem noſcitorio modo diuinæ autem & noſcitorio & opificio procedent? nam ſi demonſtrare aliquid & aſtronomos & mathematicos & cum his naturales abnuendum eſt, demonſtrationes quoque ex cauſa fieri, non concluſionis ſolius, ſed & rei ipſius abdicandum erit, aut quo utraque uſque procedant aperiendum. hæc itaque & cauſas eorum omnium quæ in cælo et in uniuerſa natura perficiũtur in uniuerſalibus quibuſdam rationibus præexiſtere fatendum eſt. Ceterum qui ſenſibilia eſſe concedunt & hoc pacto eſſe prorſus ignari ſunt; cum animam materia ignobiliorem affirment, ut alicubi, dicit etiam generoſus Amelius.

SIMILITER autem & perſpectiua & muſica.

ABSVRDVM *nihil eſt & in rationibus eſſe hæc omnia, & in imaginibus, quæ ſimulachra ſunt rationum non ſolum ante ſenſibiles, ſed etiã ante naturales rationes ſenſibilia formantes. Hic uero his conceſſis ſubiungit ut quoddam abſurdiſſimum, animalia etiam alia fore ſiquidem & ſenſus. ſed cum pridem ei præceptor dixerit per ſe animalia omnia, quæcunque intelligibilia animalia in ſeipſo amplectens cauſam*

ſam eſſe et eorumque in animæ diſpoſitione ſunt animalium, et eorum quæ inſenſibili ut et qui ipſe ac ſi nihil de huiuſcemodi rebus audiuiſſet, ita finxit. igitur poteſt, ut quæ huic connexa ſunt minime concedantur. non enim ſi ſenſibilia cauſas habent præexiſtentes, iam coniungitur cauſis ſenſibilium ſenſus. nec ſi ſenſus eſt alio modo in anima & intellectu opificis iam hoc & animal oſtenditur eſſe quod ſentiat. fortaſſe enim non omne animal uim habet ſentiendi, ſed omne quod extrinſecum eſt pariter & mouetur, nec omnis rei ſenſibilis cauſa ſenſu percipi poteſt, ſed ſiqua eſt ſingularis & proprio effectui coniuncta poſſibile quoque eſt hæc omnia concedentem. quia & ſenſum non in rationali tantum uniuerſi anima perfici, ut Timæus tradit, intelleximus. enimuero & in opifice quendam qui apud theologos extollitur ſenſum credidimus; cuius & qui in cælo ſunt ſimulachrum habentes ſenſum ipſi quoque mundis inferunt, rationabiliter recipere quod ſequitur. animalia ſcilicet alia eſſe, & me nunc ab aliis dicta in teſtimonium feram, ipſe in Decimo primum intellectum animal uocauit ex quo manifeſtum eſt, quod et aliorum quodcunque ut nos & ſi non primum, animal tamen intellectuale appellare fortaſſe non dedignabitur. In moralibus quoque proprium hominem intellectualem eſſe, conſtat ipſum uoluiſſe: ſi igitur intellectus homo eſt, qui in nobis eſt principalis, cum omnis homo animal ſit, non eſt occultum quod ſequitur. Recepimus igitur iterum eſſe et alia animalia à ſenſibilibus, ſed alio modo eſſe, & non eodem quo ſenſibilia: quorum cognitiones ſiquis ſenſus uocare uelit, quidq; cognoſcuntur ſenſibilia, ut tamen cauſas ſenſibilium, abſit nominibus inuidia modo conſtet manifeſte, in quibus ſingulo ipſorum utamur.

AMPLIVS ſcribuntur quædam uniuerſaliter à mathematicis, &c.

VERBVM

VERBVM illud, ſcribuntur, idem, quod oſtenduntur ſignificat. uniuerſa uero argumentatio huiuſcemodi eſt. Si oſtenduntur quædam à mathematicis & naturalibus per uniuerſales rationes & dignitates quaſdam, uerbi gratia per illam. Si ab æqualibus æqualia auferas, reſidua ſunt æqualia. Si quatuor ſibi inuicem reſpondeant, quod ab extremis emergit, æquale eſt ei quod à medijs, & alias multas huiuſcemodi, neceſſe eſt, inquit, cum ſint magnitudines & numeri ſeparabiles etiam, quæ ab his dignitatibus ſignificantur, eſſe ſeparabilia. ſuperiora quidem exiſtentia magnitudinibus & numeris mathematicis, depreſſiora uero ideis, uelocentur media inter per ſe magnitudinem, & magnitudinem mathematicam. hoc autem ipſe ut impoſſibile exiſtimat, ut præcedens deſtruat. Mathematica ſcilicet eſſe ſeparabilia. ſed eſt quodam modo uerum. Rationum enim quæ in anima ſunt, quædam ſimpliciores quidem ſunt & uniuerſaliores, & alijs maiorem ambitum habentes, & ob hoc intellectui propinquiores, & particularibus magis, manifeſtiores & notiores. quædam uero his omnibus deſtitutæ, & ab antiquioribus contentæ & compoſitæ & complementum recipientes. quid igitur abſurdum eſt, uel potius quo pacto neceſſarium eſt, quandoquidem tunc uori conceptus ſunt, cum rebus ipſis conſonant, accommodanturq́;, ſi uera ſit dignitas dicens, ſi ab æqualibus æqualia auferas, reſidua ſunt æqualia, eſſe rationem aliquam, cui hoc primo inſit, quæ nec magnitudinis, nec numeri, nec temporis ratio ſit. ſed horum omnium & aliorum quibus ineſſe dignitas nata eſt, contentiua. eſſe tamen non in loco nec omnino in ſenſibilibus. nam quo pacto quod eſt uniuerſale & ſimpliciſſimum, & ob hoc indemonſtrabile in materia fuerit, quæ indiuiduam formarum impreſſionem diligenter recipit? nam ſi hoc ſuſceperimus, quo pacto amplius ſeruatum fuerit dictum illud, omnem cauſam demon-

ſtratiuam

ſtratiuam alicui primo ineſſe ita ut coæquetur illi, & uniuerſalis ſit, ut conſueuiſti tu in demonſtratiuis uniuerſale conſiderare. præterea ob quam cauſam manifeſtiores erunt & notiores particularioribus, & demonſtrabilibus dignitates, ſi ex ultimis per inductionem nos ipſas conſtituamus cum prius non ſint? quo pacto etiam conuenimus in eis, niſi ſecundum ſubſtantiam in conceptibus noſtris præaſſumantur? Non enim neceſſe eſt circa hæc nos eſſe unanimes quæ ex ſenſibilibus accipimus, ut ſi ego Socratis habeam ſimulacbrum: alter uero Alexandri, quo pacto etiam tuum hoc & omnium ut eſt dicere ueriſſimum ſciam quæ actu eſt eadem eſt rei ſcitæ, niſi cuilibet cognitioni coniunctum ſit cognoſcibile? et preſertim dignitatum conceptui coexiſtit uniuerſaliſſima ratio: præterea recipiens dignitatis accurſum et ambitum. nã quemadmodum ipſnm per ſe bonum intellectionem ſubſiſtere facit & unit intellectuali, & ut boni fœnus atque fœcunditas appetitum & appetibile, & ſubſiſtere facit in idem & componit ea inter ſe, ſic & mediam amborum latitudinem replens honoratiſſimus. Iurus ſcientiam & ſcibile producit, & in idem ducit, & inter ſe complectitur, nunquam altera præ alteris conſtituens ne & ſubſiſtentia mutila ſint & imperfecta & inania. ſed ne circa hæc tempus conteramus, aliam exterius conſiderationem ſubinferamus. Quo pacto illud uerum eſt, quod à te palam conceditur. Iurus principia demonſtrationis animæ tradit, niſi ipſa in ſubſtantia cõceptibus noſtris præacciperemus. non enim profecto quorum generatio inferius, horum nobis Iurus miniſter fit. aut igitur dabitur circularis oſtenſio, ſi ex particularioribus ſumamus nos, & ſubſiſtere faciamus dignitates. ex dignitatibus uero particularia demonſtramus: aut cum ex prioribus demonſtrationes ſint ab intellectu quidem ſimpliciores dignitatum conceptus ſubſiſtet in nobis. ab his uero compoſitis formarum uarietas. iterum etiam hæc & ſecundum intellectũ

& ab intellectu eſt. (nam quæ ſecundum ſubſtantiam habemus, non ne illic ſunt, cum etiam per ſimpliciores formas rationes particulariores ſubſiſtentiam recipiant, & hoc pacto dicentes nobis ipſis tantum concordes erimus, cum à cauſis ipſis demonſtrationes perfici dicamus.

OMNINO autem contrarium accidit ueri &c.

ILLI *quidem nec à ſe ipſis, nec à rebus diſcordes ſunt. nam neque imperfectam eſſe quæ in intellectu eſt magnitudinis formam putant, aut magnitudinem quæ huic formæ in imaginatione coniungitur, neque inanimatam. quo enim pacto? cum in anima locentur? Nos uero quo pacto nobis conſentientia tuebimur, cum et cauſas eſſe rerum dicimus, per quas cauſas per ſe exiſtentes demonſtrationes ſunt, & non damus his ſubſtantiam, niſi forte quod caret ſubſtantia ſubſtantiæ cauſa ſit. Cumq; prius quidem natura uniuerſalia ſæpius eſſe enunciemus (eo quòd ſcilicet alia ſimul auferant) cum alijs uero non ſimul auferantur, & rurſus hæc ipſa ex ſenſibilibus habere ſubſiſtentiam affirmemus? nam ſi uniuerſale duplex eſt unum quod eſt ſenſibilis rei cauſa; alterum quod eſt poſterius genitum. Grata utique dices patri, & Pythagoricis omnibus. Recipias quoque magnitudinem eſſe duplicem, hanc quidem in ratione intellectiua, cui & imaginaria ipſius forma una ſubſiſtit. alteram uero ex denudatione ſenſibilis ipſius: nec circa eam, quæ ex denudatione dicas geometriam uerſari, ſiquidem hoc certitudinem non habet. cum hoc quòd etiam nunquam, nec multiangulas tot & huiuſcemodi ſuperficies uiderimus nos, quales geometria conſiderat, nec multilatera adeo uaria ſtereometria conſiderat, aut angulorum diuiſiones, aut laterum, aut ſpatiorum, aut aliorum theorematum, quibus rationes quidem plenæ ſunt, materia uero ad recipiendum inepta: Sed circa imaginarias formas uerſari dicunt. quatenus hæ ſubſtantialibus intellectus rationibus aſſiſtunt. ex quibus per demõ*

N *ſtratiuam*

ſtratiuam cauſam feruntur. uel potius geometriam quidem ipſam impartibiles animæ rationes ſpeculari uelle, ſed cum intellectionibus imaginatione carentibus uti non poſſit, extendere ſermones ad imaginabiles, & dimenſas figuras, & magnitudines, & hoc pacto in illis ipſas ſpeculari, ueluti cum et imaginatio non ſufficit, etiam procedit ad menſulam in qua etiam theorema deſcribit. & profecto non ob hoc túc eſt ei principalis ratio ſenſibilem & exterius poſitam formá apprehendere, ſed interiorem imaginariam, quam imitatur inanimata exterior. eodem igitur modo & cum circa imaginariam uerſatur. non principali ratione circa ipſam uerſatur, ſed ob imbecillitatem intellectionis cum non poſſit formam imaginatione carentem capere, in imaginaria hanc ſpeculatur. Coniectura autem maxima eſt ipſius quidem uniuerſalis eſſe demonſtrationem. imaginariam uero omnem formam particularem eſſe. neque igitur præcipuum ſtudiú circa imaginariam erat, ſed circa uniuerſalem, & omnino immaterialem. At ſi uno modo uniuerſale dicatur, quo pacto poſterius genitum etiam particularis cauſa ſit, difficulter utique quis demonſtrauerit, ſi quod impoſſibile eſt difficile appellare opus ſit.

AMPLIVS quo & quando unum erunt mathematicæ magnitudines.

HOC *ut interpoſitum dictum eſſe uidetur. Iterum nanque recurret ad priorem ſuam argumentationem. in qua quærebat quo pacto imperfectiora pariter & priora ſenſibilibus mathematica ſint. quærit autem in hoc quæ ſit cauſa qua uniantur mathematicæ magnitudines. ſenſibilibus nanque natura aut materialis forma, glutem ue aut uinculum cauſa eſt. mathematicis uero quid? Dicendum eſt igitur ad ipſum quòd impartibiles quidem magnitudinum rationes meliores ſunt ſiquidem una ſubſiſtentes imaginariæ magnitudi-*

nes & ab ipſarum cauſa impartibili dependentes diſſipationem effugiunt, & adhuc cum in anima ſunt. unionem ab ipſa maiorem recipiunt, quàm ſenſibilia.

AMPLIVS, generationes oſtendunt.

REDIT *ad principale in quo ſenſibile prius eſſe ſubſtantia mathematico oſtendebat. oſtendit autem quòd ab ipſo non intenditur. Cum aſſumat generationem omnino eſſe in ingenerabilibus, ſiquidem mathematica ingenerabilia ſunt. ſed ſi oſtẽdit aliquid, oſtendit forte quòd in ſenſibilibus corpus ipſum ſuperficie & prius eſt ſubſtantia & perfectius.*

ET QVIA animatum ſit.

VIDES *enim lineam in menſula, & ſuperficiem in cinere. ſed quid eſt his quæ in anima repoſita ſunt animatius?*

AMPLIVS, corpus quidem ſubſtantia quædam. I

HOC *quoque aſtruit lineas & ſuperficies corporibus eſſe poſteriores. nam ſi ſubſtantiæ, inquit, lineæ ſunt: quo pacto ſubſtantiæ? ut forma ne, aut ut materia? at ſi non ſubſtantiæ, erunt ſubſtantijs poſteriores. Dicendum igitur eſt, quòd quæ quidem dimenſione carent, ut rationes & formæ ſubſtantiæ ſunt. quæ uero in imaginatione ſunt dimenſionem habentes, ut materiæ rectarum aut circularium. At ſi quis omnem etiam imaginariam cauſam in imaginatione ut ſubiecto eſſe dicat aut ſpiritu, illis utique ipſis poſteriorem eſſe affirmare cogetur & imperfectiorem. Sed non ſenſibili ſubſtantia. non enim omne quod in ſubiecto eſt, ſecundum eſt cuiuis ſubſtantiæ. nam & hoc pacto uirtutes animæ, & ſcientiæ & lapidibus & alijs materialibus corporibus eſſent ſecundæ. ſed illi quidem in qua eſſe habet ſecundum eſt. alia uero quæ inferior eſt nec poſterius nec imperfectius eſt. niſi quis ſimul incedens in nihil: quod inconueniens ſit, contra di-*

uum Platonem conſtitutus, ſcientiam & uirtutem corpore dicat eſſe deteriores. ſed puto & animam, & quæ animæ ſunt corpore, corporeisq; omnibus eſſe præſtantiora. horum uero ipſorum, anima quidem his quæ in ea ſunt, quandoque actu ſunt, quandoque non ſunt, præſtantior eſt. corpus autem his quæ ei accidunt eſt honorabilius. At quæ in anima ſunt aut ſemper, aut plerunque corpori conferre nullum ſit crimen ſed certe hoc maius peccatum eſt cum conferas, præferre his quæ in anima ſubſiſtentiam habent, materiale aliquod corpus, ut perfectius ipſis & animatius. hoc enim eſt omnium maxime mirandũ, ſi animatius ſit corpus his quorum eſſentia eſt in anima conſtituta.

RATIONE igitur priora ſint. ſed non omnia quæcunque ratione priora ſunt, etiam ſubſtantia priora ſunt &c.

IN HIS *ratione quidem priora eſſe mathematica ſenſibilibus concedit, quandoquidem ſenſibile corpus quis definiens tribus indiget dimenſionibus quæ terminant ipſum mathematicum. ſubſtantia uero minime. quamuis ex regulis ab ipſo in ſexto traditis. In ſimplicibus ſubſtantijs (ſimplices autem dico quæ abſque accidentibus conſiderantur) quod ratione eſt prius, etiam ſubſtantia prius eſſe demonſtratur. nam quæ ratione priora ſunt, ſpecie priora eſſe in illis dicebantur. atqui quæ ſpecie priora ſunt, ſubſtantia priora ſunt. ex quibus utriſque quod deducitur occultum non eſt. Regula quoque eius in his dictis oſtendit quòd mathematica priora ſunt ſenſibilibus, non ratione tantum (nam hoc etiam ipſe conceſſit) ſed ſubſtantia. excedunt enim ſuo eſſe. Cum enim eſt trifariam dimenſum cum contrarietate, neceſſe eſt eſſe, et præeſſe trifariam dimenſum, & adhuc quod bifariam, & multo prius quod unam habet dimenſionem. Hæc uero cum ſint, non neceſſe eſt ſenſibile eſſe. ſed ut hæc dimittamus,*

quid

quid eſt quod, & ex ipſis exemplis concluditur? quid aliud certe, quàm quod ratione prius eſt, non omnino & ſubſtantia prius eſſe? non ob hoc tamen poſterius eſt. album nanque cum ſit prius ratione albo homine, prius eſt ſecundum ipſum ſubſtantia. etſi dixerit quis, quòd etſi non ſit homine prius, ſaltem albo homine prius eſſe debet. ſed hoc quidem concedatur, & ponatur eſſe quædam quæ cum ſint ratione priora, cum his tamen ſubſtantia concurrunt, quibus ratione priora erant. quid igitur ex his aliud concludimus quàm geometricas magnitudines, cum ſint priores ratione, ſubſtantia nec priores, nec poſteriores eſſe ſenſibilibus ipſis? etſi uniuerſa ratio uim habet, ac ſi ex abſtractione ſenſibilium ſumatur mathematica materia. unde & huiuſmodi concluſione uſus eſt. Quare materiam quòd neque quod eſt ex abſtractione, prius, neque quod eſt ex appoſitione, poſterius, attamen cum & hoc præripuiſſet, quod & falſum eſt, et ex his quæ in principio ad inquiſitionem poſita ſunt, uidemus quantum concluſit. ſed ſi quis dimenſiones circa quas geometria negociatur recte cõſiderare uoluerit in omnibus priores ipſas eſſe materiali corpore reperiet, ſi immaterialia materialibus, & uniuerſalia particularibus, & æterna corruptibilibus omnes fatentur eſſe priora.

QVOD igitur neque ſubſtantiæ magis corporalibus ſunt.

IPSE *quidem ac ſi hæc demonſtrata ſint, ſic utitur concluſione. nos uero rationes quidem ipſarum ſubſtantias impartibiles eſſe & cauſas imaginabilium, & ſenſibilium dimenſorum iuxta uire, noſtras oſtendimus. formæ uero & dimenſiones, quæ una cum impartibilibus rationibus in imaginatione ſubſiſtunt ea cauſa, quòd in anima ſunt ut in ſubiecto, ſunt & ipſæ ſubſtantiæ antiquiores corpore et corporeis partitionibus, & hoc mediocriter roborauimus. ſed quia quod nuper ab eo dictum*

dictum eſt comprehenſionem in cõcluſione fecit, memoria tendendum eſt, quòd dimenſiones, quæ in ſenſibilibus ſunt priores quidem ratione corporibus ipſis oſtenſæ ſunt, ſubſtantia uero non poſteriores. has uero etiam non ſubſtantialis dicere forte nihil erit abſurdum.

QVONIAM autem neque in ſenſibilibus contingebat ipſa eſſe uſque ad illud. Simpliciſsimus enim & huius qui æqualis eſt.

CVM *dixit quo pacto non putat eſſe mathematica, nunc tentat dicere, qualem nam ipſa pareat habere ſubſiſtentiam. placet igitur ei nec per ſe ſubſiſtere mathematicas magnitudines & figuras nec in ſenſibilibus, ſed eſſe entia præter ſenſibilia ex ſenſibilibus tamen per denudationem intelligi. nam quemadmodum, inquit, uniuerſale in mathematicis non eſt de ſe parato præter magnitudines & numeros, ſed de his quidem non tamen quatenus talia, ut cum dicimus. Si primum ad ſecundum, & tertium, ad quartum eandem habeat rationem etiã ſi permutatim ſumpta fuerint ſeruabitur ſimul quod eandem habeat rationem. eodem inquit modo & de magnitudinibus mathematica ipſa diſputans de ſenſibilibus quidem diſputat, non tamen quatenus ſenſibilia ſunt, ſed nos quidem etiam prius inſtantia tulimus ad hanc argumentationem cum diximus quòd & hoc oportet magis contentiuum eſſe magnitudinum & numerorum. nunc quoque hoc idem dicimus. nam ſi uniuerſale eſt cui primo ineſt, neceſſe eſt illud eſſe præter ſpecialiora ſua. nihil enim profecto ei quod non eſt, primo ineſt. Si uero dicat quis uniuerſale in ipſis eſſe ſpecialioribus id quod coniunctum eſt, quod eſt ſubiecti pars, quod non inconiunctum eſt, quod de omni ſpecie prædicatur. Verum admiratus quis fuerit etiam in his Ariſtotelem de conſecutione cum paria faciat uniuerſalia mathematicis, ut eius uniuerſalia ſunt, inquit, ſic et mathematica. ſunt autem ambo quidem ſecundũ ueritatem in ſubſtantialibus*

tialibus anima rationibus, ſed eius ſententia in ſenſibilibus et conceptibilibus ſeparantibus à ſenſibilibus communitates ipſas. At cum de motu etiam meminerit dicens, multos eſſe de his quæ mouentur ſermones, cum non ſit motus ſeparatus. Cum enim dicimus quæ æquæ uelociter mouentur in æquali tempore idem ſpacium pertranſeunt, nihil quidem attingimus ſubiectas res. ſed de motu ipſorum ſolo diſſerimus, non ob hoc tamen & motum eſſe ſeparatum opinamur. Dicendum eſt primo quidem non eſſe ſimile, quod circa motum eſt ipſis figuris. qui enim non uult motum eſſe extra ſenſibilia, non intelligit motum, qui eſt in immobilibus certiorem. Geometra uero intelligit ſenſibilibus figuris certiores. Dicimus etiam quòd totum falſo ſumitur: eſt enim & motus in incorporeis & figura & magnitudo, ſed non huiuſcemodi quales in ſenſibilibus ſunt. ſimpliciter uero ad uniuerſam eius opinionem eſt hoc dicendum, neque inſpexiſſe nos omnes figuras, aut omnes numeros in ſenſibilibus, circa quæcunque & quoſcunque mathematicæ uerſantur. neque poſſibile eſt tantæ eſſe certitudinis ea quæ ex ſenſibilibus ſumuntur. Sed ſi reſpondeat nos addere id quod deeſt & certiora facere, & hoc pacto ipſa conſiderare. primum quidem unde poſſimus ipſa perficere neceſſe eſt dicere. non enim aliam ueriorem inuenerimus cauſam ea quæ à priſcis dicta eſt. animam ſcilicet in ſubſtantia omnium rationes præ aſſumpſiſſe. poſtea uero ſi aliquid addiderimus his quæ abſtracta ſunt ex ſenſibilibus, non certius ipſum & uerius, ſed fictitium magis facimus. formam quippe Socratis criminans quis, ſiquidem qualem ex ſenſibili Socrate ſuſcepit obſeruat imaginatione magis utique cognitionem ipſius aſſequetur. Sed ſi in decentiorem transformare uoluerit, totum id potius quàm formam Socratis penes ſeipſum conſiderauerit. In æqualibus uero & ſimilibus numeris & figuris non hoc ipſi patimur, ſed quanto ad certius & perfectius ipſa deducimus, tanto

propinquius

propinquius ad impartibilem ſui formam accedentia mani-feſtiora nobis & notiora ſiunt, memorem tamen omnino ex ſenſibilibus nobis intuitum fieri, ſed formationem ab ipſis admittere ipſum, nefas eſt dicere. nam uſque ad imaginationem procedere poſſunt, quæ per ſenſum ad nos formæ tranmituntur, quæ profecto etiam in ipſa imaginatione indiuidue permanere uolunt, & huiuſcemodi quales ingreſſæ ſunt, ſed cum intellectus deinceps ab his ad uniuerſale, & ad ea quæ certa ratione ſpeculabilia ſunt, tranſcendit, manifeſte oſtenditur ſe quæ ſua ſunt conſiderare, unde & beata eſt hæc operatio, & non negocioſa, uimq; habens excitandi oculum animæ obcæcatum & obſtructum ex multis exercitijs. quod quando natura operari poſſet, ſi circa ea, quæ ex abſtractione ſunt, uerſaretur? contrarium igitur faceret potius, obcæcaretq; partem intellectus quæ uidet & affigeret corpori, & cohiberet eius ad uera entia translaticium impetum, ſi, ut inquit Alexander Aphrodiſeus, intelligibilia quæque ſeipſa effingens quæ intelligibilia propria natura non ſunt, circa hæc ipſa fruſtra ueluti circa umbras laboraret. ſi enim ſubſtantialia, ſunt ſed ſimilia eſſe ſubſtantialibus ponerentur. maxime quidem & hoc mirandum eſſet, quo pacto illis ſimilia ſunt quæ non ſunt ſubſtantialia. nihilominus reliquum eſt eis dicere, quod cum exercuerit ſe Iureus circa illa coniungi poterit quandoque intelligibilibus formis. ueluti rhetores excogitantes fictitios quoſdam ſermones ad uera certamina præparatum iter habent ob id quod ſimilia ſunt figmenta iudiciarijs circunſtantijs, ſed quoniam nec ideas eſſe uolunt, nec mathematica diuinarum formarum imagines eſſe, nec penitus eſſe niſi ex abſtractione ſenſibilium, non uideo quo pacto ad reductionem animæ iuxta has ſuppoſitiones nobis eo uſque conferre poſſint, aut poſitionibus ſimilia ſint trasferentibus nos à ſenſibilibus ad ueram intellectionem, & quo pacto rectius non ſit ſenſilem magnitudinem, ut nata eſt

ta eſt, ſenſu comprehendere, quàm ipſam à ſubiecto expolian tes addere ei eam, quæ nec ineſt, nec ineſſe poteſt, certitudinem, ipſamq; conſiderare non quatenus exiſtit, ſed quatenus nec eſt, nec eſſe poteſt. idcirco et Ariſtoteles ipſe hoc ſuſpiciens, ne ſi circa ſenſibilia uerſari diceret geometriã, deteriorem ipſam ſenſu eſſe dicere cogeretur, non dicit ipſam circa ſenſibilia uerſari, niſi per accidens. quemadmodum nec medicum circa alba etiam ſi omnia ſana alba ſunt, ſed circa ſana, eodem modo & geometriam circa magnitudines & figuras, etſi nulla extra ſenſibilia magnitudo aut figura ſubſiſtentiam habeat. ſed primo quidem nec circa ſana implicaret ſe medicina non magnifaciens ea, in quibus ſunt, niſi cu iuſque formæ rationem haberet in anima, quam reuoluens ſcientiam de illo ipſo conſtituit. unde enim uniuerſales rationes & apud medicos & alios ſcientiarum compoſitores, niſi ex frequenti ſpeculandæ ab ipſis formæ reuolutione? Deinde uero nec ſimile omnino exemplum eſt. Medicina enim cum ſit actiua quædam ars, & ſenſilem finem habens, neceſſario circa ſenſibilia protenditur. Geometria uero cum ſit ſpeculatiua quædam philoſophia, etiam eius ſententia, niſi circa entia uertatur, & meliora entia quàm ſenſibilia ſint, nihil utique ſtudioſum efficiet. propterea ſanorum ſcientia nihil habet de albis quo ad ſui conſiderationes affirmare, ſed geometria de iјs, quæ in cælo ſunt, demonſtrat, quod utique non poſſet niſi circa perfectiores ipſorum rationes uerſaretur. unde enim ex uniuerſali, quod eſt in cælo particulare, monſtraretur? niſi aliquod uniuerſalium eorum quæ in cælo ſunt habeat pro cauſa, quæ etiam in animabus noſtris ſpeculabiliter ſunt. & tot quidem ad hanc argumentationem dicta ſint. Sed quia cum de his quæ per ſe magnitudinibus accidunt geometria pertractet, dicit poſſe ipſam etſi inſeparabiles ſint à ſenſibilibus, magnitudines circa ea quæ per ſe inſeparabilibus inſunt uerſari. Alijs etenim inſe

parabilibus quædam inſunt per ſe, fœmininum nanque & maſculinum ab animalibus inſeparabilia ſunt, proprias uero quaſdam partitiones habent, quorum hoc quidem generatiuum eſt, alterum uero nutritiuum & receptiuum ſeminalium rationum. Dicendum eſt primo quidem quòd fœmininum & maſculinum ubique ſunt, & non in ſenſibilibus ſolis animalibus, etenim in ideis & in generibus quæ nobis meliora ſunt, nec utique ipſa mortalis haberet natura niſi ex ſuperioribus proceſſiſſent. deinde quid demonſtratur cæleſtium aut diuinorum per certam marium aut femininarum intellectionem? ut per geometrica cæleſtia, cum etiam norit iterum quantum diſtent in certitudine geometricæ doctrinæ à ſenſibilibus, quod utique non haberent niſi circa ſtudioſa & pura uerſarentur ſubiecta ſimplicitatem ſubiectorum, & certitudinem accuſat. ad quem dixerimus utique quòd ſi quidem ſimplicius hoc & ſubſtantia ſit prius et præſtantius compoſitiori, recipiet utique certam cõſiderationem quemadmodum æqualis cæleſtium motus obliquiori & maxime compoſita mortalium animalium translatione magis cognoſcitur. Sed ſi ſimplicius imperfectius ſit compoſitiori, quonam pacto receperit plures & præſtantiores & ueriores rationes? nam nec de albedine, nec de redolentia huiuſcemodi demonſtrationibus eſt uti. & ſi omnes qualitates omnesq; habitudines ſimpliciores affectis & habitudinem recipientibus corporibus ſint. quapropter duorum alterum, aut non ſunt naturalibus rationibus mathematicæ demonſtrationes certiores, aut circa magna entia uerſantur mathematicæ quàm naturalis. non enim habet rationem quod magis eſt ut ad cognitionem ſit obſcurius, neque quod minus eſt manifeſtius cognoſcitur. Sed et cum hoc accidit circa aliquod intelligibilium, ex imbecillitate noſtra fit, non ex rei proportione. eſt enim etiam hoc Platonis in his dictum ueriſſimum

unum

unumquodque ut ueritate & eſſe participat ſic luciditate et cognitione. Idem quoque huic in minori α. manifeſte ab hoc philoſopho dictum eſt. quapropter opus eſt a communibus ipſius & Platonis dogmatibus nec tantillum nos recedere.

EADEM quoque ratio de Muſica & Perſpectiua eſt.

QVOD *quidem non de forma uiſus perſpectiuus, aut ea quæ eſt uocis muſicus conſideret. Sed hic quidem de radijs, alter uero de numeris relatis, quæ ſunt per ſe uiſus & uocum paſſiones concedatur. Attamen illa ueritas eſt quòd perſpectiua à luminoſo noſtro ſpiritu miſſos radios ad uiſilia ſimiles facit lineis quæ in imaginatione & eodem ſpiritu ſubſiſtentiam habent. idcirco etiam ipſe Ariſtoteles in alijs naturalibus lineis ut mathematicis uti perſpectiuum dixit recte hoc facientem & ad proxima exempla imagines referentem, cum nec alio modo detur aſſimilatam rem noſce niſi ex relatione ad cauſam exemplarem. Muſicus quoque ipſe, in ſubiecto & in alijs ſubſiſtentiam habentes numeros ad ſeparabiles remittit, qui & effectui ipſorum ſunt & exemplares & illinc certitudine & non aliunde participare poſſunt. eodem modo et mechanicus materiam configurans, reducit omnem ſuam actionem ad immateriales figuras, quæ & in imaginatione dimenſæ & in intellectu impartibilem ſubſiſtentiam habent. nam omnes hæ doctrinæ & ſi ad materias recurrant & ad exteriora inclinentur, cum tamen ſub mathematicis operentur ad illas referuntur & ex loco utuntur illarum theorematis.*

QVAPROPTER, ſiquis ponens ſeparata accidentium conſiderat aliquid de his quatenus talia.

IN HOC, *hoc accidere dicimus non ob cauſam quam ipſe ſubiungit, ſed quia tranſit à figura coniuncta ad inconiun-*

ctam, & à particulari materiali ad uniuerſalem & immaterialem, in qua et uarietas rationum, & theorematum emergit multitudo.

SICVT neque cum in terra ſcribat.

NON *eſt hoc ſimile illi: nam quantitas deſcriptæ in propoſitionem non aſſumitur. ſed de uniuerſalibus meminit & ex uniuerſalibus compouitur demonſtratio. Quare de eis eſt ſermo præcipuus mathematico, & non de ijs, quæ in ſenſibilibus ſunt figuris magnitudinibus ue.*

OPTIME autem ſic unumquodque conſideratum fuerit.

HOC *omnino uerum eſt. nam quod in ſubiecto eſt, & unam cauſam non habet ſeparabilem, optime in ſubiecto potius cognitum fuerit. ut Socratis forma in Socratis corpore magis utique nota fuerit, et manifeſtius, quàm ſiquis ipſam auellens ſeorſum conſideret. & quia hoc accidit (accidit enim in omnibus corporeis communitatibus) nulla alia de cauſa fit optima earum intellectio cum ſeparantur, quàm quia habemus ſingulorum formas apud nos ipſos, quas reuoluentes ſcientiam de unaquaque conflamus.*

QVOD arithmeticus facit, & geometra.

INSTANTIAM *hic latam contra ſuam opinionem uult diſſoluere. ſi enim, inquit, non concedis eſſe ſeparabiles numeros neque figuras, de non entibus mathematici diſſerunt. neque enim de his quæ in ſenſibilibus corporibus: quia huius ipſa materialia non ſunt: nec de ſeparabilibus: quia nec omnino ſeparabilia ſunt: de non entibus igitur. Hic uero dicit de non entibus quidem actu, entibus uero potentia: quo pacto igitur potentia ſunt hæc & non actu, docens utitur exemplo hominis, & dicit quòd unum quidem et indiuiſibile eſt homo*

homo actu, hoc eſt unum ſubiecto. ſed arithmeticus quidem accedens ad ipſum, ſingularitatem eius & indiuiduitatem conſiderat, geometra uero ſolidum eius omniquaque dimenſum ſpeculatur. inſunt enim ei & hæc. non curat igitur geometra quod in ipſo eſt indiuiſibile, ſed hæc. inſunt enim ei cũ indiuiſibili, ineſſentq́; etiam ſi indiuiſibile non eſſet. quapropter recte enunciat trifariam ipſum eſſe dimenſum, & in infinitum ſectilem, & quæcunque uniuerſaliter de ſolidis geometra dicit & oſtendit. Ad quæ dicendum primo quidem quid eſt quod ex potentia in actum figuram ducit et magnitudinem. non enim certe potentiam ſeruans, potentia ipſam intelligit geometra, ſed cum ad actum ipſam duxerit. Si autem hoc eſt, format ipſam & certiorem facit & perficit, quo pacto igitur poſſet hæc facere, niſi haberet ea quæ actu ſunt in ſeipſo? ſuum enim eſt. ideo Ariſtoteles ab eo ſolo quod actu eſt id, quod potentia eſt, perfici, ad actum duci. Præterea nec omnino à ſenſibilibus poteſt ſumere geometra. multas nanque figuras figurarumq́; poſitiones ſpeculatur, quas ſenſilis mundus non recipit. Deinde ſi hæc quidem actu in ſenſibilibus ſunt, (ſic enim Aphrodiſieus hoc dictum exponit) potentia uero ſeorſum conſiderantur, quomodo certius eſt quod potentia eo quod actu eſt? Quod cum timeret etiã iunior Ariſtoteles, expoſitor Ariſtotelis philoſophi, è contra dixit philoſophum dicere potentia quidem eſſe in ſenſibilibus ipſum unum, quod conſiderat arithmeticus, & figuram geometricam, actu uero à ſcientijs conſiderari. Et ego uolo ſic potius à philoſopho dictum eſſe, ut Aphrodiſieus exiſtimauit, ut & in ceteris fiat eius opinio ſyncerior, et cum maiori fiducia expetamus ipſum dicere, quid eſt quòd perfecit potentiam & ipſam in actu firmauit.

QVONIAM autem bonum & honeſtum alterum. nã illud quod in actione ſemper eſt &c.

IN

IN HIS *inuehitur ualde decenter contra Ariſtippum, etſi quis alius uituperauit mathemata nullum ipſa honeſtū, aut bonum putans conſiderare, & inquit eius quod utile eſt, & conferi in practicis (hoc enim nunc bonum uocat) nil intereſſe mathematicarum, cum neque à principio ciuilis aliquis habitus ſit mathematica, bonum tamen ipſum quod honeſtum eſt maxime ſequi mathematicos circa commenſurata, & terminata, & ordinata uerſantes. nam etſi bonum non nominent in concluſionibus, ſaltem oſtendit ſe eorum tractatus omnes commenſurationes, & ſimilitudines & proportiones & ordines conſiderare. ſed plurima etiam in natura bonum faciunt id quod ordinatum eſt & finitum. Hæc ergo ab Ariſtotele recipientes primum nolumus ipſum dicere, unde bonum & commenſuratum & finitum accommodetur mathematicis. nam ſenſibilia ipſa etiam ſi cæleſtia ſint particularius his participant, & non cum huiuſcemodi certitudine. Intelligibilia uero meliora ſunt hac diuiſione & reuolutione rationum. ſupereſt igitur ipſa ut puto mediam habentia naturam inter intelligibiles formas & materiales. puta quidem eſſe magis & diuiſa quàm intelligibilia & plurificata, ſed eſſe unita magis quàm ſenſibilia & ordinata eſſe & menſurata uniuerſalibus quibuſdam rationibus, & immaterialibus formis decenter perdurantia & ſenſilibus proximam diſpoſitionem inferentia. Super omnia uero hæc cum fiducia ipſum alloquemur dicentes non ex alia cauſa tenuitatem mathematicis tradidiſſe ea ſpernantes, quàm quia non dederunt eis ſubſtantiam ſeparatam. ſed opinati ſunt eſſe imaginationis iocularia diuellentis ipſa à ſenſibilibus, cui ſi ipſe opinioni auctoritatem præbuiſſet, condemnaſſet profecto eos qui bonum quidem mathematum non perſenſerunt, conſequentius tamen ad ſuas ſuppoſitiones de ipſis ſunt opinati. nam in rebus ſubſtantia uacantibus & poſterius genitis & ſenſibilium ſimilitudinibus, quid utique fuerit quod*

 ex

ex bono aut ordine pendeat? nam aſſimilabilium obſcuritatem, & nullitatem, & ignorantiam in omnia omnino: etſi non aliunde, ſaltem ex his quæ de diuiſione lineæ in de republica dicta ſunt certe nouimus, ad quæ ſi quis ipſa mathemata referat, ut ſenſibilium imagines exiſtentia, quamnam amplius demonſtrationem aut ordinem, aut terminum, aut bonum mathematicis diſtribuerit, qui dictorum ſuorũ uult concordiam ſuſtinere. eſt ergo mathemata rationis neceſſitas etſi nihil nos inferamus. ſi dicatur tamen magis quàm ſi ſileatur, manifeſta fiet. Si enim eſt ex ſenſibilibus quod ſubijcitur mathematis nullum habet bonum neque ordinatum, neque terminis exornatum. ultimum nanque bonum & obſcuriſſimus gradus, & ultimi termini in ſenſibilibus ſunt. ſed poſt ſenſibilem naturam ſi aliquid eſt, inhoneſtum ipſum eſſe & inordinatum neceſſe eſt, & infinitum, & ſubſtantia uacans. ac ſi & pulchritudinis, & ternum & omnimodarum propoſitionum & uarietatis theorematum & admirandi ordinis receptaculum eſt, melius utique ſenſibilibus fuerit & prius & tanto præſtantius quanto quod ſecundum eadem, & ſemper eodem modo ſe habet, eo, quod nunc, ſic nunc alio modo afficitur. nam ſi etiam in ſenſibilibus aliquid eſt, quod ſemper eodem modo ſe habeat, non aliunde quàm ex medijs animæ rationibus deductum eſt.

De mathematicis igitur & quòd entia ſint, & quo pacto ſint, & quo pacto priora, & quo pacto non priora toties dicta ſint.

Esse *quidem ipſa conceſſit ueritus & demonſtrationes, quæ in ipſis ſunt, & ineuitabilem de ipſis communem ſententiã, ſed ex abſtractione eſſe, quod idem eſt quod obſcurius eſſe, & ſimulachra potius ſenſibilium. Priora uero ratione ſenſibilibus non tamen & ſubſtantia. & ea quidem de quibus ipſe dixit. Manifeſta omnibus puto facta eſſe qui ſolertiores*

ſunt

ſunt. ſed ſi quis legitimis Platonicorum dogmatibus coniungatur, ſciet lucide uniuerſæ mathematicæ ſcientiæ ſubſtantiam, & potentiam, & operationes, & quæ ſit eius communis conſideratio, & ad quot extenditur genera, & quæ ſint principia eorum, quæ tantum mathemata ſunt, & quo differant ab alijs principijs, qualia aliarum ſubſtantiarum principia, & quo pacto communé cauſam huiuſcemodi principia uniuerſis mathematis præbent, quæ iterum ſingulorum mathematum ſint principia, ut numerorum, figurarum, concentus, & quam habeant inter ſe proprietatem, quamq; differentiam, nec non ad cetera omnia quouis modo entium principia, quæ communiter ſubijciantur mathematis, de quibus pertractant Pythagorici, & quo pacto liceat circa ipſa uniuerſalem facere conſiderationem, quis ſit optimus uſus ſtudij circa mathemata, & ad quem finem referre oportet optimum circa ipſa tractatum, & quid ſingulis mathematicis ſcientijs ſubijciatur non ut ſcibile: quod ſit commune mathematum omnium indicatorium, & quo pacto ex ſectione lineæ reperiatur quam Archytas tradit: utrum in anima potentia ſit mathematum terminata ſubſtantia, aut etiam ante animam, quoniam anima quidem motus eſt, hæc uero immobilia, quòd præcipuas mathematicas rationes animæ ſubſtantia complementum ſui facit, ut & Plato, & ante Platonem Timæus Pythagoricus demonſtranit: quod ſit opus mathematicæ ſpeculationis, & quo pacto acquiritur, & quo pacto conueniens ſit nomini mathematicæ tanquam uniuerſam reminiſcentiam nobis ſpecierũ aggenerans, quæ ſint potentiæ mathematicæ ſciẽtiæ, et quos ordines habeant inter ſe, & quibus differentijs diuidantur, & quot modis intelligantur: quæ ſint genera & obiecta mathematicæ ſcientiæ, & quo pacto elementa, quo pacto etiã genera, eadem ſint ad ſimilitudinem generum entis: quo etiam diſtent hæc ab intelligibilibus & generalibus ſubſtantijs.

tijs. De ſimilitudine, & diſſimilitudine mathematicæ, & quæ ſint & quouſque extendantur, quo differant ab intelligibilibus, & ſenſibilibus ſimilitudinibus, & diſſimilitudinibus, quo pacto permeat in uniuerſam philoſophiam mathematum cognitio, quot artibus bona conferant & uniuerſis, & ſingulatim diuiſis, ut ſpeculatis & intelligibilibus & actiuis: quis ſit ordo deductionis quæ eſt in mathematicis, etſi naturalem ordinem habet, & eum qui ad doctrinam, & an alter alteri ordo conſonet. Qui ſint proprij modi Pythagoricæ traditionis mathematum, & quo pacto ipſis utebantur, & ad quæ, et quod id, quod proprium eſt, ſemper rebus afferebant & diſcentibus. quæ ſit more Pythagoreorum diuiſio uniuerſæ mathematicæ ſcientiæ in genera & ſpecies propriiſſimas. quæ ſit definitiua mathematicæ doctrina, & quo pacto fiat, & quam utilitatem ad ſcientiam conferat. quæ ſit demonſtratiua, & an à ſe ipſa aut aliunde hanc ferat. qui principes in ſecta Pythagorica mathematicæ ſcientiæ præceſſerint. quæ propria in ſcholis illis mathematicæ ſcientiæ excogitatio facta ſit. quid oportet expetere à mathematico cum inſtructus eſt, & quo pacto oportet iudicari eius ſpeculationem, & ex quibus terminis rectitudinem aſſumere. quo pacto plerunque etiam de primis intellectionibus, et ſenſibilibus mathematicæ differimus, & qua de cauſa hoc fieri natum ſit. Hæc itaque omnia & cum his adhuc in unaquaque mathematum conſideratione demonſtrationes ab ipſis mathematicæ ſcientiæ principibus cum receperit quis, & experimento dedicerit quo pacto ex ipſis inſtrumētum quoddam animæ cuiuſque expurgatur & reuiuiſcit, quod abolетur & obcæcatur ab alijs exercitijs, quod conſeruari ſatius eſt mille oculis, ueritas utique fuerit, conſeruantem nos & adeo pulchram, & rationibus ſcientificis, & intellectualibus euariatam ſpeculationis ſpeciem ad inſubſtantiale ſubiectum attrahere. At ſi alicui ex reuolutionis, & latioris

enarrationis quæſtionum quas deſcripſimus deſiderium inſit doctrinæ cupidum, occurrens hic Nicomachi collectionibus Pythagoreorum dogmatum & diui Iamblichi de his eiſdem explcat deſiderium. cum horum unus narratorie omnia, & cum ueritatis amore exponat. alter uero probationibus, & demonſtrationibus, & intellectualibus magis adiectionibus ipſa exornet. eſt autem manifeſtum, utro uero modo uolue rit. & de mathematicis quidem quæque Ariſtoteles dixit & nos contra ipſum diſſentimus, ad hæc uſque in præſentia ſufficiant. Deinceps uero, quo pacto aduerſus ideas dubitauit, conſideremus.

SERMO DE IDEIS.

CAP. II.

DE IDEIS autem primo ipſam quantum ad ideam, opinionem conſiderandum.

QVONIAM *etiam numeros ideales Plato ideas uocabat ſequens Pythagoricos, prius inquit ut ideas ipſas examinemus nullam de numeris memoriam facientes, ſint ne numeri hi, aut non ſint. ſed ut in ipſam intelligentiam deueniamus, eorum qui primi ſeparabilibus formis hanc appellationem impoſuerunt, quamuis quo ab illis dicta ſunt, examinaturus nihil eiuſcemodi diuiſione indigebat. non enim per aliud quidem idea, per aliud uero idealis numerus denominatur. ſed ſiquidem uerum eſt dictum illud, numero autem omnia ſimilia ſunt, non occultum eſt quod ob exemplarem proprietatem numerus etiam uocatus eſt, & maxime omnis idealis. ſed ſi etiam ex ui nominis uelit quis hoc ipſum cognoſcere, cuilibet promptum eſt, ideam ueluti participantia ſibi ſimilia reddentem, & ſpeciem, & ordinem, & pulchritudinem & unitatem ipſis communicantem ſic nomen*

ſortitam

ſortitam eſſe tanquam eandem ſemper ſpeciem ſeruantem, & ad quæcunque plurima ſuam expandentem potentiam, & eandem ſpeciem æterne participantibus afferentem. numerum quoque cum in omnibus proportionem et concinnitatem exponat, hanc ſortitum eſſe appellationem. nam arſæ antiqui aptare, ſeu componere uocant. unde arithmos dicitur apud Græcos quod numerum apud Latinos ſignificat. unde illud, bene autem Libramaptes, & anarſion apud Græcos, hoc eſt incompoſitus, & illud, ñumerum et amicitiam. ſed etiam illud, numerum una cum illis poſuerunt, ex quibus omnibus ἀριθμὸς apud Græcos, hoc eſt numerus eſt uocatus, menſurans omnia & componens & amica faciens, quod formalis ſeu idealis cauſæ proprium eſſe dicimus. Sed hæc quidem exterius aſſumpta ſint. ſed hoc tantum prius dicentes, quòd plurium accuſationum occaſiones ſibi aſtruens, diuiſit prius conſideramina, ſequamur cõtra quæ de ideis deſcribit.

ACCIDIT autem de ideis opinio dicentibus.

IN HIS *quod ex Heracliticorum opinione in exiſtimationem de ideis diui uiri deuenerint, falſo dictum eſt. Nam neque Heraclito perfecte conſentiuit de ſenſibilibus Socratici & Platonici, ut declarant Theætetus, & quæ in Cratyllo dicta ſunt. neque ex horum fluxu ad determinatas entium cauſas deuenerunt, & quod in his eſt confuſum inquietum & infirmum & errabundum ex ſubſtantia illa opinabantur diſcretionem & identitatem & firmam quietem, & ordinationem ſortiri. quantum erat ei fas ab illo principio diſpoſitioni quod eſt omnium maxime cauſa. fluentium uero non eſſe ſcientiam non Platoni modo, & Socrati & Pythagoricis. ſed & uidetur ei qui hæc ſcribit. Verum nec ſingularium ſiue in totum fluant (ut uult Heracliti ſermo) ſiue fiant quidem ſemper & corrumpantur. permaneant uero ſecundum ſui totum, ob cauſam idealem, ut Plato uult, ſiue etiam*

quis ipſa entia uocet, ut Ariſtoteles conſueuit. ſiue etiam ſola eſſe dicat, ut Stoici dicunt, eſſe tamen ſcientiam de indiuiduis apud omnes eſt negatum. niſi quis ſcientiam ſenſationem uocare uelit. ſed ut multa prætermittam & Democritum quidem ſolum parum attigiſſe definitiuam, Pythagoricos uero pro definitionibus nomina rebus numerorum impoſuiſſe, opportunitate quidem ſeptenarium, iuſtum uero quinarium, nuptias uero ſenarium uocantes, Socrati principium quidem demonſtratiuæ ſcientiæ attribuere, ſed non omnem diuinam, & animas ſurſum ducendi uim habentem dialecticam, quia non ut ipſe dialecticam Plato uocat. quod in Socrate & Platone non habet uim, qui contra omnes deceptorios & peruerſorios ſophiſtas decertarunt, ut hæc inquam omnia prætermittam, cum nec ipſe principalem nunc de his ſermonem propoſuerit: quod cum his omnibus dictum eſt, Socratem ſcilicet cauſa definitionum ad uniuerſalia deueniſſe, & hæc facere inſeparabilia, Platonem uero & Socratem ignorantem aut tranſgredientem uniuerſalium uſum, abſtractam eis eſſentiam attribuiſſe: dictorum omnium uidetur mihi infeliciſſimum eſſe. nam nec Socrates definibilia ſola uniuerſalia eſſe putauit. ſed ante hæc etiam rationes in anima exiſtentes, ut oſtendit Plato in Phædro, & in Phædone, & ubinam cum eſſet iuſtiſſimus & omniũ hominum fide digniſſimus, quæ Socratis ſunt nobis non enũciauit? aut qui ab eo philoſophiam ſuſcepit, tranſgreſſus eſt aliquid eorum quæ à præceptore diſpoſita ſunt? Quod tranſgrediens eidem illi imponat in nullo ei conuenientia dogmata, quinimmo contrariæ potius illius tractui ſe habentia. Nunc uero in de republica decimo libro tradidit ipſum ſeparabiles formas, quæ in intellectu diuino repoſitæ ſunt, uenerantem, & in Phædro dicentem ſurſum ductas animas intueri ipſam iuſtitiam, ipſam temperantiam, & adhuc ipſam ſcientiam, & in Phædone ex ſuppoſitione formarum

ſeparabilium

ſeparabilium animæ immortalitatem aſtruentem etiam. Neque à Socrate ortum habuiſſe hanc conſiderationem dicit philoſophus, ſed altius à Pythagora et principibus Eleatici ludi. nam & Timæus, qui Pythagoricus eſt, non aliunde generationem diſponit quàm à ſeparabilibus formis, & aſtruens qui ſint, & quòd ſint cauſæ eorum quæ hic ſunt, & Parmenides, neq; ſupereſſe dicit quo quis intellectum uertat ſi ideæ non ſint. & in Sophiſta eos, qui in idearum amicos inuehuntur, gigantibus ſimiles eſſe dicit, ueluti cæleſtibus animabus & ſublimia petentibus obſiſtentes. ſed ne nunc circa enarrationem claram exiſtentes tempus conteramus, dicenda eſt una ratio pro Socrate & Platone & Parmenideis & Pythagoreis contra ipſum, quòd ideæ ab his diuinis uiris nec iuxta locutionem conſuetudinis nominum producebantur, ut Chryſippus & Archedemus, & plures Stoicorum poſterius putauerunt. multis nanque differentiis diſtinguuntur ſpecies ſeu ideæ per ſe ab his, quæ in conſuetudine dicuntur, neque eodem modo quo tenues illæ uulgatiſſimæ una cum intellectu ſubſiſtunt, ut dicebatur Longinus præferre. nihil enim omnino cum intellectu ſubſiſtit, ſi inſubſtantiale eſt quod ſubſiſtit. quo autem pacto idem intellectum eſſe & una ſubſiſtere poteſt? uerum nec notiones ſunt apud eos ideæ ipſæ, ut Cleanthes poſterius dixit. Neque ut Antoninus permiſcens Longini & Cleanthis opinionem cum intellectu aſſiſtunt ſecundum intellectuales ideas. ſed nec etiam definitiua ratio, nec materialis forma, & definibilis eſt idea, ut in his & in aliis dicit Ariſtoteles putaſſe Socratem. nam hæc quidem in compoſitione & diuiſione ſunt & uergunt ad generationem & materiam. ſed hæ ſunt perfectæ, ſimplices, & impartibiles, & ſingulares in ſpecie & ingenerales, & immateriales. & quid mirandum eſt, ſi quæ tantum à ſe mutuo diſtant à ſe inuicem ſeparamus? cum neq; Plutarchum, & Atticum, & Democritum Platonicos in hoc ipſo imitamur,

imitamur, quia uniuerſales rationes in ſubſtátia animæ per ſæcula ſunt, putant eſſe ideas. nam etſi ſeparent ipſas à communitatibus ſenſibilium, attamen non oportet in idem coniungere animæ rationes, & intellectum qui uocatur materialis cum exemplaribus, & immaterialibus formis, & opificiis intellectionibus. ſed ut inquit diuus Plato, noſtrum quidem eſt in unum ratiocinatione colligere, & reminiſcentiam eſſe eorum, quæ quandoque conſpeximus coambulantes Deo. Diuinum uero ſecundum eadem ſemper eodem modo ſe habere, ſic & ipſos diuidere quouſque uoluerint Platonici eſſe. Affertur quoque Boethus Peripateticus ex Ariſtotelis eruditionibus in idem ideas cum generalibus ducens, cui & Cornutum coniungere æquum eſt. non procul etiam ipſum ab hac opinione delatum, ſiue enim priora ſint generalia ſingularibus non ſic priora ſunt ut denudata ab habitudine quam ad ipſa habent, neque ut ſubſtantiæ ipſorum cauſæ (quæ quidem inſunt ideis) ſiue poſteriora ſint, ut multi dicere conſueuerunt poſterius genita & ſubſtantia carentia. & quæ in tenuibus conceptionibus fiunt quando opificiarum idearum dignitatem ſuſtinere poterunt? quo pacto igitur apud ipſos ueritatis amicos ſpectatores ſubſiſtunt ideæ? intelligibili quidem modo & quaternarij modo in per ſe animali. Intellectuali autem modo & denarij in opificis intellectu. procedit enim diuinus numerus ex latebra unitatis immortali, quouſque ueniat ad diuinum quaternarium, qui certe peperit matrem antiquam omnia recipientem, terminum cunctis imponentem, innumerabilem indefeſſam. Decadem ipſam uocant uenerandam immortales dij & terrigenæ homines. Dicta eſt igitur uniuerſa ueritas more Pythagoræ & Orphei. Sed ſi opus eſt conſuetius dicere: intellectus per ſe ſufficiens & perfectiſſima cauſa uniuerſorum præponatur. huius uero quod diuiniſſimum eſt & immaculatum ex operationibus inte-

grum

grum cuſtodiatur, & ad fabricationem & ad beneficam mundanorum omnium prouidentiam. Hic igitur in intellectionibus plenus exiſtens ſpecicbus uel ideis excludit quidem non cauſam & caſum à ſua actione. Sed cum bona omnia & pulchra effectibus communicet, ad ſe ipſum uniuerſum conuertit, & ſibi ipſi reddit conſimile. & huiuſcemodi et tot & operatur, qualia & quot intelligit. intelligit autem omnia cum ſit perfectiſſimus. Nullam igitur uere entium derelinquitur à ſubſtantia intellectus. ſed locat ſemper in ſe ipſo ſpecies non alias exiſtentes ab eo & ſubſtantia eius, ſed complentes eius eſſe, & effectiuam pariter & exemplarem & finalem uniuerſis inferentes. Agunt enim ut intellectus & ſunt exemplaria ut formæ, & propter ſe agunt & ſui bonitatem. Ad talia igitur repugnare oportet eum qui uere contradicit idearum amatoribus. ſed non inanes cauſas & ſuppoſitiones effingentem contra has ut contra umbras pugnare.

QVARE accidit eis eadem fere ratione.

IDEAE *quidem & uniuerſaliter ſunt, ſi oportet uniuerſalia dicere ſupremarum rationum cauſas, & in uniuerſum indiuiſibili modo præueniunt ipſas operationes. non omnium tamen quæ in conceptibus ſunt uniuerſaliter dicunt uiri ideas eſſe. nam nec malorum aut turpium, quoniam priuatione potius & abſentia idearum hæc in natura ſubſiſtunt. Ideo et præter naturam ſe habere dicuntur, neque negationum. ſunt enim hæc deſtructiua termini & finis qui ab ideis rebus omnibus attribuitur pariterq; materialis eſt potius infinitatis partitio quàm idealis ſeu formalis. neque eorum quæ alias aliter ſe habent. Hæc enim ex cauſa quæ mouetur uerſionem & tranſmutationem, ſed non ex inuicta & ſtabili idearum illuſtratione recipiunt. Sed nec ipſarum partium quæcunque non ex tota ſunt ideas derelinquunt, ut manus,*

capitis,

capitis, aut digitorum, aut naſi. integræ nanque exiſtentes rerum cauſæ totas ſpecies & formas producunt, non diuiſæ circa harum partes ueluti naturæ rationes, uerum nec priorum corporibus accidentium in intellectu determinatas cauſas reponebant, dulcedinis, uerbi gratia, et albedinis, ſufficere enim putabant naturales rationes ad actionem accidentium corporibus. ſed nec compoſitorum, ut hominis ſapientis. Cum enim ſimplices ſint ideæ, ſimplicem cuiuſque ſubſtantiam exponunt. participare uero diuerſis ſpeciebus mouet intellectum noſtrum ad componendum hoc huic, aut diuidendum hoc ab hoc. circa quod igitur eſt affirmatio & negatio, circa hoc & compoſitio eſt & diuiſio. Ideæ uero & ideis coordinata intellectio ab his omnibus exemptæ ſunt ob ſimplicitatis exuperantiam. neque igitur eorum, quæ ex complexione diſſimilium generum habent generationem, ponendum eſt eſſe ideas ut ginnorum & mulorum: neque eorum quæ à diuerſis arboribus cõnaſcuntur. ſunt enim hæc omnia poſterius genita et aduenticia & nõ ſolius naturæ opera, nec omnino ſecundum ſuas rationes procedentis, ſed ueluti iniuria affectæ & fruſtratæ ſeu ſuſpenſæ & laborare coactæ. eſt ergo ex his manifeſtum quòd omnis ars quæ naturam imitatur & ad ſolam mortalem uitam utilitatem aliquam præbet, ab idearum cauſa derelinquitur. Sed nec quæcunque ex animæ propoſito opera pendent per plurium cauſarum concurſum perficiuntur, quæ certe à fortuna appellare conſueuimus, neque hæc idearum cauſæ coniungimus, nam quæ ibi perficiuntur ſemper ſunt, & eodem modo ſe habent & à contingentium natura ſunt liberata. Relinquitur igitur uniuerſalium & perfectarum ſubſtantiarum eſſe ideas & eorum quæ conferunt ad naturalem harum ſubſtantiarum diſpoſitionem, ut hominis & ſiquid eſt hominis perfectiuum, ſapientiæ uerbi gratia & uirtutis. cauſæ enim exiſtentes generatiuæ & perfectionis omnium operatiuæ ideæ & ſubſtan

tijs

tijs eſſe præbent & perficiunt, illas ad ſe conuertentes. eſt ergo manifeſtum quòd & ſubſtantiæ ipſarum & perfectionis cauſam in ſe ipſis præacceperunt. Habemus exemplum quàm minimis quorum quidem ideæ ſunt apud ipſos, quorumq; non ſunt, & quòd non omnium ſunt quæ ſic uniuerſalia ſunt, ut accuſator dicit.

Et ſimiliter ac ſiquis numerare uolens.

Primum *quidem cauillum eſt, & non redargutio. ſecundum uero dictum eſt, ut illis etiam accidentibus ipſis ideas attribuentibus. Si igitur unicuique noſtrum plura accidunt, plures ſingularibus erunt ideæ. ſed eſt falſum, quod dictum eſt. nam nec ſingularium ſpecies ſunt, iuxta exactiores Platonicorum, nec accidentium corporibus. Dicendum eſt autem et ad cauillum quòd neque equos numerare poſſibile eſt, niſi numerum ex unitatibus cõgregatum quem monadicum Græci appellant, cõferamus alium exiſtentem à numero numerabilium. omnino autem ſi nõ meditemur materiales cauſas, ſed primas operatrices & ab ipſis effectibus ſeparatas, neceſſe eſt tranſiendere ad alias naturas, quæ æterno tempore, & immobiliter, & ipſo eſſe ſuo omnia ornatu & ordine complentes cauſas eorum, quæ fiunt in ſe ipſis, complectuntur numero quidem pauciores, mundanis rebus exiſtentes. tanquam ipſi uni propinque exiſtentes, & quoties ab ipſa unitate progreſſæ, potentia quidem inenarrabili & totius ſimul temporis, & eorum quæ in eo naſcuntur infinitudinem amplectentes, per eccellentiam quandam ab ipſis abſtractam & inconiunctam.*

Secundum ſingulum enim æquiuocumq; & præter ſubſtantias etc.

Dictum *eſt quorum ideæ ſunt quod uniuerſalium ſubſtantiarum, & eorum quæ ipſas perficiendi uim habent. falſum*

igitur eſt ſecundum ſingulum eſſe æquiuocum. uerum hoc tamen & ipſe recte dixit, nunc, & opus eſt nos meminiſſe, quod ideas æquiuocas eſſe dicit ſenſibilibus & non uniuocas, ut Alexander ipſum dicit opinari.

ALIORVMq́; unum eſt in multis.

CVM *multæ ſint de ideis opiniones, quatuor ſunt, plurimo ſtudio dignæ. quæ, et quales, & propter quid. hæc certe omnia, ut unā quæſtionem dico. nam circa ipſarū exiſtentiam hæc omnia uertuntur. Secunda eſt quorū ſunt ideæ. Tertia eſt, quæ ſint participātia ideis, utrum generalia ſola aut etiā æterna, & utrum omnia æterna aut quædam. etſi quædam utrum æternorum corporea ſola ut cæleſtia, aut etiam quædam incorporeorum. Quarta autem eſt, quo pacto ideis participēt participantia. Videtur igitur hæc argumētatio tertiæ quæſtionis eſſe. Si communem aliquam ſpeciem ſeu ideam & generalibus & æternis relinquunt uiri. ut ideam ſimilitudinis aut æqualitatis, aut identitatis, qua & cælum ipſum, participat, participant et quæ hic. & hoc nihil abſurdum cōcludit. nam etſi idem ſit quod participatur, participatio tamen habet diuerſitatē. unūquodque enim ut decens eſt gradui ſuo principales cauſas participat, ſed ne perturbentur ad huiuſcemodi eius argumetationes ſumenda ſunt, quæ de participantibus uidentur optimis Platonicorum: Numenio quidem, et Cronio, & Amelio placet intelligibilia omnia et ſenſibilia ideis participare: Porphyrio uero ſola ſenſibilia, ſed prima quidem et optima intelligibiliū ea eſſe quæ participantur: quæ uero illinc exoriuntur, hæc eſſe quæ ideis participāt, & animæ ſcilicet diſpoſitionem et ſenſibilem, et nullum quippe abſurdum eſt idea hominis et æqualis et ſimilis, alio quidē modo participare animam, alio uero naturam, alio uero æthere ipſum, & iterum alio generabilium locum, & eſſe quidem horum cognationes & compaſſiones & proprietates in*

paritcipatione

participatione unius ideæ: dependere tamen ſemper poſteriora ex prioribus. & hoc quidem pacto ideam à ſe ipſa immune exeuntem his adeſſe omnibus impartibiliter quæ ipſa participare poſſunt. Participantia uero per ea quæ ante ipſa ſunt exornari & ad ipſam ideam reduci: corpus quidem per naturam, hanc uero per animum. & hanc iterum per ſui intellectum, qui ceterum ex illis exul erat, & melius unitur diuinis ideis quàm participantium diuerſitates.

AMPLIVS ſecundum quos modos oſtenditur quòd ſunt ideæ.

PLERVNQVE *etiam per demonſtrationem tentabant probare, quæ ſunt de ſubſtantia idearum; ſed in nihil quod non uellent incidebant. Quod autem non ſit uerus accuſatorius ſermo, ex his conſtat. Multi modi ſunt apud eos, quibus & oſtendunt eſſe ſpecies, & ſolum horum, quorum uolunt, quorum unus hoc pacto interrogatus eſt. qui ipſum uniuerſum produxit eſt Deus. omnis Deus ſuo eſſe facit, omnis qui ſuo eſſe facit, ſimulachrum ſui facit: qui igitur uniuerſum ipſum producit, imaginem ſui mundum facit: ſi hoc eſt, habet in ſeipſo exēplariter cauſas uniuerſi, hæ uero ideæ ſunt. Multæ quoque aliæ apud ipſos rationes ſunt, et quæ perfectū imperfecto præpoſitæ, & unitatem multitudini, & impartibile partibili, & quod ſemper eodem modo ſe habet permutabili. In quibus oſtendunt, quòd non à deterioribus res incipiunt, ſed in hæc quidem deſinunt. Incipiunt uero à perfectiſſimis, & optimis, & pulcherrimis. non enim profecto poſſunt conceptus noſtri proprie æquale, & proprie ſimile, & omnia huiuſcemodi attingere. opificis uero intellectus nōn habet in ſe ipſo per ſe æquale, per ſe iuſtum & per ſe pulchrum & bonum. ſimiliter & omnia huiuſcemodi.*

NAM & ſecundum rationes quæ ſunt ex ſcientiis.

DICEBATVR *à uiris etiam hoc. Si circa entia ſcientiæ ſunt, uniuerſalia ſunt. nam de uniuerſalibus ſcientiæ ſunt, ut ſit ſyllogiſmus in tertia figura. Scientialia uniuerſalia ſunt ſcientialia entia ſunt, quædam uniuerſalia entia ſunt. non enim omnia uniuerſalia. non enim profectò quæ poſterius genita ſunt, aut quæ in indiuiduis. abſurdum uero nullum eſt, ſcientialia omnia entia eſſe. ſi propriè ſcientialia ſumantur. ſed non medicinalia, aut fabrilia. non enim ſunt hæ propriæ ſcientiæ, ſed ſolæ illæ merito ſic appellentur, quæ de æternis, & per ſe exiſtentibus, & ſemper eodem m odo affectis pertractant.*

ET PER unum in multis etiam negationum.

QVOD *quidem unum multitudini præponebant, manifeſtú eſt. ſed & ſubſtantiale & generatiuum multitudinis, non quod eſt priuationi proprium. hoc nanque poſterius eſt. & anima communem priuationem non hominum uidens conſtituit apud ſe uerbum hoc non homo. non enim ſicut quædam eſt idealis, & terminata cauſa in uniuerſo, quæ equos equos perficit, & quæ canes canes, & alia cygnos cygnos: ſic aliqua erit, & quæ non homines facit hæc omnia. ſi enim eſſet diceremus utique, & non hominis eſſe ideam. Nunc uero anima noſtra per alterum quod eſt in ea priuationem in his humanæ ſpeciei intelligens, hoc commune non homo in ipſis ordinauit. non igitur priuationes impartibilibus aſſimilabimus. neque enim quæ principaliter rebus inſunt, & per conceptum tenuem in ipſis conſiderantur ex una & eadem cauſa dependent.*

PER intelligere uero aliquid corrupti, corruptibilium &c.

DICEBAMVS *quòd quæ uere intellectus attingit hæc entia ſunt. non enim eſſentia carent ueri intellectus intellectiones.*

Hic uero ad imaginationem intellectum trahens (uocat enim & hanc in alijs paſſiuum intellectum) ſic inquit, et corruptorum ſubſtantia fuerit. Imaginari enim poſſet quis etiam quod eſt corruptum. & ex his quoque datur intueri ad quas argumentationes uerti coguntur, qui ideis contradicentes ab entibus quidem ad priuationes transferuntur. ab intellectu uero qui actu eſt ad imaginationem & opinionem. eſt enim imaginari & opinari etiam non ens. ſed intelligere ſcireq́; non ens nefas eſt. illud uero phantaſma aliquod ipſius quid eſt? ſi quid in ipſa notione dictum eſt ludo potius ſimile eſt quàm ſtudio. à quo enim uult intellectus noſter expurgari, hunc dicit eſſe intellectus diuini motum. Sed ſi in fictio motu imaginationis, qui ei etiam circa non ens fit uere quidem prolatum eſt, ſed nihil conuenit actu ſtantibus ſemper intellectionibus.

AMPLIVS exactiſsimæ rationum. Hæ quidem eorũ quæ ad aliquid ideas faciunt.

NON *ſubſtantialium quidem habitudinum ideas eſſe non dicimus, nec earum quæ ſunt in motibus, aut eorum quæ ſecundum aliquem ſitum non naturalem perficiuntur, ut ſuperioris, inferioris, dextri, ſiniſtri, uicini, & aliorum huiuſcemodi. quæcunque uero per alicuius ideæ participationem ad aliquid facta ſunt, ut ſimilia aut æqualia, aut diuerſa, hæc quidem cum aliquo generè entis participent. altera uero omnino aliqua una idearum coordinationem inter ſe recipiunt. & quid mirandum ſi eorum quædam quæ apud nos ſunt per illa dicimus ad aliquid fieri, cum etiam ibi hanc relinquamus habitudinem? ſubſtantialem uero non, & nos tã tum. ſed & ipſe Ariſtoteles. Cum enim hoc quidem cauſam aut principium eſſe dicimus, aut primum, aut continens, alterum uero cauſatum ex principio, aut ſecundum, aut contentum quid aliud facimus? quam quod ordinem quem habent*

habent diuina inter ſe enitimur oſtendere. Placet quoque ipſi Ariſtoteli ſeparabilium formarum quibus ſphæras uniuerſi deuincit, has quidem eſſe primas, illas medias, quaſdam uero ultimas, & illas quidem maioris ambitus eſſe. has uero minoris, ſiquidem hunc habent etiam illæ inter ſe ordinem quem & ætheris ſphæræ inter ſe oſtendunt. ſed quo pacto tertium etiam hominem inducunt? ſi enim quia in ſingulis entium ordinibus ſunt omnes ideæ, non tres tantum, ſed multi homines erunt, quoniam & omnia multiplicari poſſunt. etenim in intellecto & intellectibus, & in anima una & animabus, & in naturali uniuerſali & naturis particularibus. In cælo igitur & terra, & fere in omnibus partibus uniuerſi, ut conueniens eſt recipientibus locis, hæc fuerit ſpecies: quare non tres, ſed ratiocinatione noſtra incomprehenſibile. ſed ſi quia uniuocus eſt per ſe homo his qui hic, ut dicitur, dictum hoc exponens Alexander, omnia uero uniuoca participatione alicuius ideæ uniuoca fiunt, tertius emerget aliquis homo qui de idea, & his qui hic prædicetur, deridenda argumentatio fit. non enim quæ hic ſunt, uniuoca ſunt cum idea. quando enim imagines ſuo exemplari uniuocæ fieri poterunt? nec omnino re aliqua participare ideam ipſam putandum eſt. hæc enim omnibus ad participationem expoſita eſt, cum ſit maxime prima forma. ſed ſi de ipſis æquiuoce homo prædicatur. in æquiuocis uero prædicationibus nulla res ſimul infertur à uoce præter ſubiecta & quæ æquiuoca dicuntur, quo pacto amplius tertius homo locum habuerit? cum uox quaſi exhauſta ſit, & diuiſa in per ſe hominem & mortalem hominem.

OMNINOQVE deſtruunt de ideis rationes quæ magis uolunt eſſe &c.

VVLT *quidem dicere quòd principia entium potius ſeruare uolunt huius conſiderationis præſides, quàm doctrinam de ideis.*

ideis. Cum autem incubuerint in id quod minus eſſe uolunt, auferunt principia. & certe ſi hoc ita ſe haberet, inciderent utique in rem quam nolunt. ſed uideamus an aliquid huiuſcemodi patiantur.

ACCIDIT enim primum non eſſe dualitatem, ſed numerum.

DICEBANT *profecto uiri poſt unum omnium principium, quòd ipſum bonum & ſuperſubſtantiale unum putabant uocandum eſſe, duas eſſe omnium cauſas, unitatem & infinitæ potentiæ binarium. & hæc principia in ſingulis entium ordinibus accommodate reponebant. eſt enim, & aliquid quod ipſi bono reſpondet in unaquaque diſpoſitione, & quæ unitati, & binario primo appropriatur. hic uero dicit facientes ipſos in ideis per ſe binarium, & per ſe unitatem. primum quidem, quia quæ priora ſunt idealibus cauſis diſtribuere conſueuerunt, cum has primas eſſe dicant, deſtruere unitatem, & binarium, quæ in principijs ſunt. primi namque binarij, & unitatis uter erit antiquior? unitas ne an binarius? Poſtea etiam quia duplus eſt per ſe quaternarius per ſe binario, & per ſe binarij per ſe unitati, cum hæc omnia inquam ſint, non ſolum per ſe numerus prior erit principijs, ſed etiam relatus numerus, & omnino multa dicit eſſe huiuſcemodi, per quæ cuſtodire uolentes poſitionem de ideis ſe ipſos latuerunt proprijs aduerſati principijs. ſed quod hæc importune dicta ſint, et extra propoſitum occurrant ijs quæ à diuinis uiris dicta ſunt, conſtat quidem etiam ante omnem rationem, ſolertioribus. Verumtamen inquiſierit, quis etiam à nobis deceptoriæ argumentationis ſolutionem. Dicimus ergo aliam eſſe principiorum naturam, & aliam idearum, & ſi æquiuoce aliquid circa ipſas ſuperaccidat. uel potius non circa ipſas. nam quid diuiniſſimis entium ſuperueniſſe poteſt? Sed circa noſtram de ipſis pertractatio-*

nem. Protinus nanque binarius, qui principij rationem habet fœcundam potentiam, & proceſſum, & multitudinem, & multiplicationem omnibus affert, excitatq; omnia, & mouet ad ſpontaneam poſteriorum generationem, & prouidentiam, & cuſtodiam. complet ergo diuinas omnes diſpoſitiones & intellectuales, & animales, & naturales, & ſenſibiles conuenientium ſingulis numerorum. nullum uero unum eorum, quæ quouis modo ad exiſtentiam procedere nata ſunt, permittit eſſe ingenerabile. At per ſe binarius omnibus ſuam formam affert & animabus, & naturis, & corporibus. Quare ſiue mundus diuiſus ſit, ſiue etiam cælum ſolum, ſiue etiam animæ rationes, aut etiam ante rationes circuli ipſi (nam hi primum ex participantibus utuntur bifaria diuiſione) ſiue etiam aliquod ſingulariū animaliū, aut oculos habet duos, aut manus, aut pedes, aut aliquod aliud ex operatis naturæ, cū eo quod ſuum eſt dualitatem per uniuerſum habet, non ab alia cauſa quàm à ſuprema. Dicemus hoc rebus aduenire, aut ex per ſe binario, qui prior quidē eſt duabus quibuſque ideis, inter ideas numeratis, et cauſa, nō tamē ex principali binario, à quo et ipſe et omnis intellectus habuit exiſtentiam. eadē quoque de unitate dicimus. Alia nanque eſt quæ principij rationem habet, quæ unà cū binario omnibus ſubſiſtentiam præbet, identitatem, firmitatem, et continuitatem & æternā uitam, uniuerſis exponens. Alia uero eſt per ſe unitas ut in ideis prioritatem habens, qua participantes effectus uniuntur, & habitui proprio continuantur. Cum igitur unitatem & dualitatem in ideis uiri præferunt, non ad deſtructionem propriorum principiorum has præponunt, nam quo pacto? Quas & ipſas cum uniuerſo intellectu & intelligibili dicunt ex principijs ſubſiſtere. ſed quia ex rebus mundanis ipſas eſſe exiſtimant, & à qua quidem uniuerſo mundo animabus atque corporibus totalitas & unitas formæ. à qua uero prima diuiſio & geminatio

minatio formæ adeſt. eſtq; manifeſtum utrum ab utra. Illud autem quod dicit eos numerum in illis, quoniam Græci monadicum, nos ex unitatibus congregatum, dicimus inducere, & ob hoc duplum facere per ſe binarium, per ſe unitati ualde tenue eſt. non enim ex quantitate unitatum numerorum unuſquisque qui ibi ſunt denominationem habet, quam aſſumpſit, ſed ex quodam charactere (ſeu ſignaculo ſubſtantiæ diuiniſſimæ, & ſimpliciſſimæ. participant uero ipſis ſingula iuxta ſui naturam. et quemadmodum per ſe homine incolorato, infigurato, & informi, cum figura & colore, forma diuinationeq; homo qui hic eſt participat, eodem modo etiam per ſe ternario nullam præ ſe ferente quantitatem, cum quantitate participant ſenſibilia. Quærere igitur in idealibus numeris numerum ex unitatibus congregatum, ſimile eſt ac ſi in per ſe homine quæras iecur, lienem, inteſtinum & aliorum quodcunque. Igitur nec principia ſua auferunt uiri per ideales numerus, nec numerum qui in habitudine eſt ad intelligibilia inducunt.

AMPLIVS per exiſtimationem per quam eſſe dicunt ideas.

IN HIS *profecto grauius dubitauit. Sed dictum eſt et ab antiquioribus et à nobis in prioribus, quorum ideæ ſunt, et quorum non & quòd ſubſtantiarum uniuerſalium, ut hominis, equi, et omnium quæ ſubſtantias perficiunt ut uirtutis ſcientiæ. & ſiquid animabus & corporibus & numeris aduenit. ut ſimilitudo, æqualitas, magnitudo & ſiquid eſt huiuſmodi. Quæ uero ſolis corporibus accidunt in naturæ rationibus determinatas habent cauſas ex Iamblichi ſententia. notat nanque diuus Plotinus non eſſe ponendam ideam albedinis in intellectu. non ergo cuius eſt unus in multis conceptus, huius idea eſt. nam hoc pacto etiam eorumq; præter naturam ſunt, eſſent ideæ. ſed quorũ quidem ideæ ſunt, horum ſunt et*

uniuerſales rationes, non tamen conuertitur. Verum nec quorumcunque ſcientiæ ſunt quæ non proprie dicuntur horum omnium ideæ ſunt, ipſis tamen cum ſint ſubſtantiæ quæ hic ſunt, participare recte dictum eſt: non tamen ſiquid ſubſtantia participat, iam hoc ſubſtantia eſt per ſe ſcientiam quippe et per ſe iuſtitiam ſubſtantias eſſe diximus, ſed habitus noſtri non ſunt ſubſtantiæ. Illud quoque dicendum eſt quòd Ideis nihil eſt in ſubiecto, ſed omnia in ſubſtantiam tendunt. nam ipſum per ſe duplum & æternum, non accidit, nec etiam ex ſententia Ariſtotelis. Manifeſte ergo demonſtrauit in decimo huius negocij, nihil eſſe corporale aut incorporale per accidens. Potius ergo hoc pacto dicendum eſt, omnem immaterialem formam, & diuinam in immultiplicata, & ſingulari, & ſimpliciſſima ſubſtantia multipotentiſſimam eſſe, & participari non quo ad omnes eius potentias, ab his quæ hic igitur perſeduplum habet quidem in ſubſtantia, & impartibile, & intelligibile, & operatiuum, & æternum, & nullum horum ut in ſubiecto. participatur autem ab anima quidem ſuperiori, ſecundum plures eius potentias, à noſtra uero in paucioribus, à corporibus uero aut potentijs corporeis deſiderate quoad unam aut duas. quæ tamen ſubſtantijs participant, non neceſſe eſt omnia eſſe ſubſtantias, & de his quidem ſæpe meminimus, ſed quemadmodum quædam his quæ impartibilia ſunt partite participant, & intelligibilibus abſque intellectione et intellectu, ſic ſubſtantijs abſque ſubſtantia. dicendo enim unum in multis, non hoc ſignificabat tanquam abſtracta eſſet unitas illa ineffabilibus quibuſdam exceſſibus à multitudine, quæ ex ipſa & ad ipſam ſimilis redditur, & ab ipſa dependet.

ETSI quidem eadem ſpecies idearum & participantium.

Sed *nec uniuocæ ſunt cum his quæ hic ideæ. ridiculum enim eſt de ijs dubitare; ne cum alijs etiam tertius homo ut dicunt ingrediatur. nec hoc pacto æquiuoce, ut quæ à fortuna, ſed ut exemplar imagini, et preſertim cum eo ipſo quod exemplar eſt imaginis ſubſiſtere faciens, eas ad ſe conuertat.*

Ceterum ſi communes rationes conuenire dicemus ſpeciebus

Quod *dicitur huiuſcemodi eſt. Si uero quis nec ſimpliciter æquiuocas idæas dicat his, quæ hic nec ſimpliciter uniuocas, ſed eandem quidem accommodet rationem ideæ, & ſimulachro eius, addat uero in idea quidem intelligibile, uerbi gratia. In his uero quæ hic ſenſibile, putabit quidem ſe aliquid dicere, ſed nihil re uera dicet. Cui nanque eorum quæ in definitione intelligibile aut ſenſibile diſtribuet? Vt ſi imaginabilis ſit circulus, ſitq; etiam idem ipſe intelligibilis circulus. Dicat uero quis utrunque ipſorum figuram eſſe ſuperficialem quæ ab una linea ambitur, ad quam ab uno puncto eorum quæ ſunt interiora figuræ omnes rectæ procidentes æquales inter ſe ſunt, ſed per ſecirculum dicat figuram intellectualem, eum uero qui apud nos figuram imaginabilem, aut ſenſibilem, conſiderare oportet ſi uel ſit quod dicitur. cui nanque inquit intelligibile aut ſenſibile aſſociabit? figuræ ne, an ſuperficiali? lineæ ne an puncto? omnia nanque ſubſtantiæ ſunt, quæ in definitionem aſſumuntur, ut in homine, animal ſcilicet & bipes. opus eſt autem ad ipſum ueritatis deſiderio occurrentem dicere, quod etiam à principio non oportebat ideæ definitionem tradere. nam impartibiles, & ſimplices formæ, & intellectuales, & à definitiuis rationibus ſpoliatæ ſunt, & ab omnibus quæ per diſcurſum, & reuolutionem conſiderari nata ſunt. ut in epiſtolis diuus Plato ſubſtantiali circulo diſſeruit, dicens ipſum aliud quid eſſe à definibili & ſcibili, ut ipſe Dæ-*

monius Ariſtoteles in ſeptimo huius negocij (æquum putauit omnium ſimpliciſſimarum formarum nullam eſſe definitionem. ſed conſentientem eſt ei etiam ad ſingulas argumentationes dicere, quòd etſi definibiles eſſent ideæ, non neceſſe eſſet eisdem nos uti definitionibus in his, quæ hic & in exemplaribus ipſis. non enim profectò imaginis Socratis, Socratisq; eadem eſt ratio. & ſi facta ſit imago Socratis ad ſocraticam formam. ſiquis autem etiam eandem amborum definitionem traderet, quid prohiberet in ſingulo. eorum quæ dicuntur in illis quidem intelligibile, intelligere, in his uero ſenſibile. omnia nanque æquum eſt intelligibiliter ineſſe ideæ ſi quidem inſint omnino. naturaliter uero his quæ ei ſimilia ſunt. igitur nec re uera definibilis eſt idea. nec ſi eſſet definibilis, eadem cum operatis definitione detineretur. ſiue hæc quis omnia conceſſerit, non prohibebitur intelligibiliter quidem ipſa exemplaribus diſtribuere, imaginarie uero aut naturaliter imaginibus. neque enim hoc eſſet abſurdum omnibus ſeparabilibus formis intelligibile ineſſe, ueluti his, quæ ſunt ſub eodem genere, ut quibuſdam ſuperficiebus generi cauſa ſuperueniens.

CAPITVLVM TERTIVM.

OMNIVM uero maximè dubitauerit, utique quis.

DE VTILITATE *idearum inquirit, nunquid aliquid conferant ſenſibilibus ſi eæ ſuppoſitæ fuerint. Dicendum ergo eſt quòd diuina omnia propter ſua principia & propter ſe & ſunt & huiuſcemodi ſunt. Verum quia generatiua, & prouiſoria ipſorum eſt exiſtentia, etſi non gratia ſecundorum ſubſiſtant, ſubſtantiam tamen, & potentiam, & perfectionem omnem his, quæ poſt ipſa ſunt, communicant. et profectò ob ipſas ideas etiam, quæ ex ſenſibilibus æterna ſunt, et*

ſubſiſtunt

ſubſiſtunt & æterna manent. huiuſcemodi exiſtentia ob illarum amorem ad æternam uitam & motum excitata, mortalesq; & materiales naturæ effectus quando nam proceſſum ad entia reciperent? niſi natura & utentes natura cauſæ opificæ ad terminata quæque, & ſemper ſecundum eadē, & eodem modo ſe habentia actionem ſuam referrent? Cur enim non ex quauis mutatione quæuis producit? ſed terminatæ naturæ mutationes, & diſcurſus apparent? niſi aliquis ſit in naturæ rationibus ordo præexiſtens. quæ uero ante ordinem eſt impartibilis cauſa uniuerſa gubernanti pariter aſſiſtens? quin & ipſi Ariſtoteli placet primam cauſam immobilem exiſtentem uniuerſi mundani motus finalem ſaltem eſſe cauſam, etſi non exemplarem.

ᴀᴛ ᴠᴇʀᴏ nec ad ſcientiam aliquid conferunt aliorum.

Qᴠᴏᴅ *quidem ad ſcientiam rerum idearum ſpeculatio maxime conferat, oſtendit ubique quidem diuus Plato, ſed præcipue in Parmenide, cum neque quo quis intellectus oculum uertat ſupereſſe dicat, niſi idearum cauſam inſpicere poſſit. et in Phædone præcipue de immortalitate animæ demonſtrationes principio idearum, & ſuppoſitione utantur. Nihilominus etiam ante omnem rationem hoc quis modo laborioſe conſiderauerit. ſi imagines ex relatione ad exemplaria cognoſcimus, quo pacto poſſumus cum ſenſibilis hic mundus imago ſit mundi intelligibilis non ob hunc etiam illum cognoſcere? Nobis uero non conferre idearum inſpectionem ad ſcientiam ſenſibilium: quia nec ſubſtantiæ horum illæ ſint, nec accidentia, puerum potius dicere erat decens, quàm uirū demonſtratiuum. nam ſi ex prioribus, & magis cauſis demonſtrationes ſunt, ſequitur ut nec per ſua elementa (neque enim hæ ſunt propriæ cauſæ niſi, ut ſubſeruientes uerioribus ad generationem.) Nec multo magis per accidentia*

ſua

ſua ſcibile aliquid fiat. Quæ igitur ab Anaxagora de homiomerijs hoc eſt rebus partium ſimilarium dicta ſunt, & quæ ab Eudoxo de huiuſcemodi quibuſdam ſunt dubitata facillime ſubuertibilia ſunto. Ideas tamen cum ſint cauſæ ſubiectæ ſenſibilibus, & bonitatis, & permanentiæ, neceſſario & ſcientiæ ipſorum omnem afferunt perfectionem.

AT VERO nec ex ideis alia ſunt aliquo modorum qui conſueti ſunt dici.

QVOD *quidem nec ut ex materia, nec ut ex priuatione, nec compoſitionis modo. nec ut ex forma materiali ex ideis ſenſibilia conſtent, manifeſtum eſt, quia nullum horum eſt uera cauſa. ideæ uero proprijſſimas cauſas & omnium ambientiſſimas & abſtractas continent effectiuas & finales.*

DICERE uero exemplaria.

SI AD *intellectum opificis conſtitutores, & cauſam uniuerſorum animaduerterit quis, ſuo eſſe iuxta ſui proprietatem cuncta generantem, & prouidentia digna facientem ſupponens, profecto nec effectiuam omnium cauſam inquiſierit, nec quo pacto ipſum agens exemplar, quæq; in ipſo ſunt exemplaria diſpoſitæ operationis dicamus. quo pacto etiam, cum Plato palam dixerit. ſi quidem igitur intellectus in exiſtentibus ideis, in eo quod animal eſt, quot, & quales ſint inſpicit, tot & huiuſcemodi percepit opus eſſe etiam hoc ipſum habere, tanquam nihil huiuſcemodi dictum ſit, inquiritur? quid eſt quod ad exemplar ſit conſtitutum? oportebat enim non poſtponere, quæ manifeſte dicta ſunt, ſed ſi quid habebat aliquid quod contra ipſa diceret, cum de opinione meminerit locum habentibus redargutionibus contra ipſum uti. Hic uero tantum abeſt, ut poſſit aliquid contra ueram Platonis ſpeculationem dixiſſe, ut cogatur, concedat neget, ue aliquid eadem illi alio modo dicere. Separabiles nanque*

forma

formæ apud ipſum finales quidem cauſæ ſunt, & ab omnibus appellabiles bonitatis, & ordinis mundani apud ipſum ſunt cauſæ. ſed manifeſtum eſt ei qui cum prudentia dicta conſiderauerit, effectiuas etiam ſenſibilium cauſas fore. nó enim alia eſt eſſentiæ, et formæ cauſa, alia uero perfectionis. ſi autem & infinitæ uirtutis cæleſtia corpora ſunt ob illarum appetitum, aut à ſe ipſis appetitum habent, & infinitam uirtutem, aut ab illis ambo, aut ſecundum monſtratur. ſed ſibi ipſis infinitæ uirtutis minime cauſæ fuerint. cuiuslibet nanque finiti corporis uirtus quoque finita eſt: ſed ſiue ambo, ſiue ſecundum unde illinc recipiant cum ſint uirtutis, & naturalis, & æternæ miniſtratoria; & ipſius eſſe his in quæ potentiam habent quibuſque inſunt cauſas eſſe, & non eſſe niſi potentiam illinc recipiant; eſt manifeſtum. Idcirco etiam Plato cælum uniuerſum, uniuerſamq; generationem concaſuram dixit ceſſare niſi ſit incorporea forma quæ in ſe ipſam conſpicit, & quæ primo quidem in ſe ipſam cooperatur, ſecundo uero etiam quæ ex ſui pulchritudine pendent, excitat, & intelligit. Hoc pacto quidem, & effectiuam cauſam habentes uidebuntur apud ipſum ſeparabiles formæ, ſiue concedatur hoc ab ipſo, ſiue negetur. nam quouſque, & appetitus, & uirtutis ex ſe miniſtratoriæ ſunt, aut per appetitum uirtutis, aut uirtutis ſolius. ſunt uero & cum hoc bonitatis, & ordinis cauſæ, & æternitatis, cur non & ut ſit primo operans cauſa aſſumptæ fuerint? Quod uero & exemplares erunt cauſæ ſenſibilium ex eiſdem ſuppoſitionibus mandatum eſt hinc: placet ipſas ſeparabiles formas ſem per hanc habere rationem inter ſe, quam & ætheris manifeſtæ ſphæræ, aut igitur à fortuna, aut à ſimilitudine. aut aliud quid ante hæc ambo unius ordinis cauſa eſt, aut ipſa ſibi ipſis uiciſſim ſuum ordinem communicant. ſed nihil eſt in principalibus cauſis fruſtatorium, nec ſuperius aliquid apud ipſum ſeparabilibus formis. nam ipſum unum implurificatum

tum

tum & ſuperſubſtantiale ſufficiens eſt. Relinquitur igitur ipſa ſibi uiciſſim ſuum ordinem communicare. ipſa quoque ſeparabilia ſenſibilibus. Cum è contra nefas ſit. nec ipſe utique omnino conceſſerit ab infimis illa pollui. Exempla igitur ſenſibilium ſunt, quæ ibi ſunt, & effectiuæ cauſæ ſiquidem & finales & miniſtratoriæ uirtutis & æternitatis. Quo igitur pacto redarguat ille præceptorem, qui ex his quæ concedit in eandem cum illo doctrinam uelit, nolit ue, cogitur?

CONTINGITQVE & eſſe, & fieri quoduis, etiam ſi non ſimile fiat.

SED *fortuita quidem ſimilitudo in corruptibilibus ſolum accidens rariſſima eſt, at ſemper ſecundum eadem, & eodem modo æterna quidem ſe habere. generabilia uero à natura fabricari ſimile eſt operi non abſque intentione, nec ſine cauſa identitatem atque ſimilitudinem ſeruanti. Quoniam hic poſſet aliquis moueri, & ſibi ipſi & alteri pari modo non ob eandem cauſam, ſed quia ſic accidit, ſed inerrans ſphæra & unumquodque æthereorum ſemper per eadem & eodem modo mouentur. non igitur opus eſt quæ raro ultimis entium ſuperueniunt, ad euerſionem ordinis entium aſſumere.*

ERVNTQVE plura eiuſdem exempla. Quare & ideæ.

NON *quecunque apparent in ſenſibilibus & opificijs, hæc oportet referre diuiſim ad primo operatrices ipſorum & intellectuales cauſas. ſed homo quidem ſenſibilis et animal erit et bipes & rationale & mortale, & alia infinita. ſed per ſe homo horum quidem nihil eſt, ſi quidem impartibiliter & animalium & naturalium & ſenſibilium hominum cauſam in ſe ipſo cóplexus eſt. & ſufficiens eſt ſenſibili homini fabricato, quo ad illa omnia ſuggere quæcúque ei conferunt ad eam, quæ hic ſubſiſtentiam. Nihil igitur opus eſt ſenſibiles homines multis ideis participare quatenus homo eſt. ſed ſi quidem*

quòd

quòd quia ſenſibilis ſit, & ea participat cauſa hominis quæ eſt in natura, & ea quæ eſt in anima, & ea quæ in intellectu, hoc pacto plures ideas dicatur ſortiri, concedere opus eſt, & nihil abſurdum eſt ultima omnibus prioribus ſe participare, cum & rationes naturæ proprie quidem participare dicantur ex ſententia diſertiſſimi Amelij. idearum uero animæ expreſſiones recipere. ipſis uero intelligibilibus cauſis potius aſſimilari. ſi autem quia quatenus hanc formam habet, plurium eſt idearum effectus ob rationum in ipſo diuiſionem, non irruere debemus in eum qui eadem nobiſcum hoc modo opinatur. ſed diuiſionem & exactiſſimam ſectionem rationum in operatis ipſis eſſe putandum eſt. Indiuiſa uero penitus uniuerſorum continentia abſtractis cauſis diſtribuenda eſt.

AMPLIVS non ſenſibilium unde exempla erunt ideæ.

ESSE *quaſdam uniuerſaliores cauſas, quaſdam uero particulares magis in intellectu ponendum eſt, quoniam & Ariſtotelem ipſum, cum eundem cum ſenſibilibus ætheris ſphæris ordinem fateatur habere diuinas uniuerſi cauſas. Manifeſte conſtat quaſdam eſſe maioris ambitus conceſſiſſe, quaſdam uero minoris. non hac tamen de cauſa aut ad ipſum, aut ad nos ſequitur imagines eſſe ſecundas primarum dicere, ſed omnino uniri quidem inter ſe, & ſe mutuo permeare pure, & inconfuſe diuinæ, & intelligibiles utique dicantur. participes uero eo modo quo ſecundæ, & imperfectæ naturæ ipſis participant, nullo penitus modo dicantur. omnia ergo prima quæ ibi ſunt et uera poſteriorum exempla ſunt & nullum imaginis in ſe ipſis ſubingreſſum recipiunt.*

AMPLIVS uiſum impoſsibile fuerit ſeorſum eſſe ſubſtantiam, & id cuius ſubſtantia eſt.

NECESSE *eſt uniuerſales diuinorum actiones ſemper actu*

 eſſe.

eſſe. & ex hac nunquam tota ſpecies mundum deſerere poterit. Cum enim infinitæ uirtutis ſit cauſa, ob eius ſimplicitatem & immenſitudinem, neceſſe eſt non deficere operata. quod uero particulare eſt, nunquam ideæ particeps eſſet, niſi materiam haberet ad eius participationem diſpoſitam. præparatio itaque materialium quæ in motu feruntur cauſarum eorum, quibus non ſine rationem tenet.

MVLTA quoque alia fiunt, quorum ideas eſſe non dicunt, ut domus annulus.

IDEAS *quidem opificias eorum, quæ nec ſunt in natura, nec à natura fiunt, non reliquerunt uiri. & hoc quippe recte narrat, quòd artificialium ideas eſſe non putabant intelligibiles, & diuinas. Sed rationes exemplares operatorum artificiales nō illis tantum placuit animæ artificum ineſſe. ſed & ab Ariſtotele ipſo multis in locis exiſtimatum eſt. Quod & maxime æquum eſt contra ipſum dicere idearum amicos. Nam quo pacto res artificioſas per exempla accurate fieri concedens, & in his non renuens exemplarem cauſam, naturæ opera, quæ certe & ars imitatur abſque intentione perfici dicit? cum ad nullam terminatam cauſam naturalis actio referatur. etſi ipſe quoque alicubi dicat naturam formam appetere. Sed rationem non explicat. Quam enim formā? illam ne, quæ in motu fertur & materialem; ſed hanc nondum fecit & eſt natura ipſa poſterior, & inſpecioſo informiq; ſubiecto coniungitur. & abſurdum eſt naturam, quod nondum eſt concupiſcere, quodq; poſterius eſt, & una cum priuatione defertur. & ob hoc turpe fit & inamabile. at ſi eius quæ ſeparabilis eſt formam diligit, quæ & uera eſt & prior ipſa, & diuina, & re uera forma, neceſſe eſt hanc eſſe intellectualem & immaterialem, & ſemper in eiſdem, & eodem modo ſe habere, ut & naturæ deſiderium inextinctum ſit & indeficiens actio.*

SED

SED de ideis quidem & hoc modo & per logicas magis & certiores rationes.

ET QVIDEM *plura his aduerſus idearum ſuppoſitionem non habeat dicere, oſtendit, & primus huius negocij liber, & duo ab ipſo compoſiti de ideis libri. fere enim has eaſdem ubique argumentatiunculas transferens quandoque quidem ipſas minutius diuidens, & ſubdiuidens, quandoque uero compendioſius enuncians, tentat antiquiores ſe philoſophos dirigere. Sed quòd etiam ſi multiplicati fuerint huiuſcemodi exiſtentes argumentatiui loci, procul à ſcientia de diuinis ſubducantur in ſe ipſos reuoluti, puto non latuiſſe ſolertiores. ſed quia enunciat ſe tranſire etiam ad ſuppoſitionem de numeris, pollicitus redarguere eos qui ſubſtantiam eis intellectualem attribuunt, uideamus & contra numeros uiri argumentationes.*

CAP. QVARTVM.

NECESSE eſt autem ſiquidem eſt numerus natura quædam uſque ad id, non enim conuenit alium eſſe modum præter dictos.

PRIMA DIVISIO *defectuoſe quidem dicta eſt, ſed uere. neceſſe eſt enim ſi eſt per ſe numerus, & non natura alia eorum, quæ numerantur, aut conſequentem à priori differre ſpecie. in hoc uidetur prætermitti illud, aut non differre. ſequentes uero diuiſiones, quæ per unitates fiunt, omnes ſuperuacaneæ ſunt, & præter propoſitum inquiſitionem facientes. nam ſi ſeparabiles numeros in quantitate unitatum ſupponerent uiri ſubſiſtentiam habere, recte ſe haberet contra ipſos dubitare, utrum omnes unitates incomparabiles ſint. In eodem numero ſibi ipſis, & in alio, alijs: aut omnes indifferentes, ut quæ ſunt in numero*

me ro mathematico. aut hæ quidem indifferentes & incomparabiles in alio, & alio. ſed quia impartibiles ſunt, & non quâti apud ipſos numeri, et in diuinis formis ſecreti. quicunque ipſorum ſunt à mundo ſeparabiles, ſuperfluere putamus uniuerſam huiuſcemodi ſermonis negociationem: ſequẽtem tamen diuiſionem iterum ut reſpondentem rei admittimus, qua quærit ſeparabiles ne ſupponerent numeros eſſe, an inſeparabiles à corporibus, ut complentes tamen ſenſibilem naturam, aut quoſdam ſeparabiles, quoſdam inſeparabiles. Cum igitur prima ultimaq; diuiſio ſit ab eo facta rei conueniens, eligimus, primæ quidem diuerſos eſſe numeros ſpecie, uel potius eſſe diuerſas ſpecies. ſpecies enim puræ, & impollutæ numerorum non ſeparabiles ſunt, ſecundæ uero eſſe, & ſeparabiles & inſeparabiles ſenſibilium numeros. Iccirco & qui ex uno, & interminato binario cos qui ubicunque ſunt numeros generant, merito ei uidentur his modis uſi fuiſſe. quidam enim de ſolis inſeparabilibus multum ſermonem faciunt ex proximis de ſuperioribus cauſis innuentes. quidam uero de ſeparabilibus, in quibus in exempli ratione uidebant contentos etiam numeros eos qui ex natura perfecti ſunt. Alij uero de ambobus diſcernentes lucidiorem & perfectiorem doctrinam ſuam oſtenderunt. ſed ſi opus eſt aliquid de differentia, aut indifferentia unitatum dicere, unitates quidem quantas nullo prorſus modo ſubſtantialibus numeris ſubijciendas eſſe ducimus. ſed cum unitates ipſos dicamus, differre etiam à ſe mutuo omnes dicemus ipſa diuerſitate, & indifferentes identitate. & utrunque oſtendi per hæc ambo genera entis. Conſtat quoque eos qui ſunt in eodem ordine identitate potius quàm diuerſitate per comparationem mutuam contineri. qui uero ſunt in alijs et alijs differentia utuntur ob diuerſitatis dominium.

HI IGITVR utroſque dicunt eſſe numeros.

Hic

HIC *conſtat eum Platonem ſtatuere, ut & eius commentator dicit Alexander. & recipimus Platonem hæc dicere, & non hæc tantum. eſſe enim & idealem numerum ſupponebat ordinem habentium in ipſo idearum. eſſe etiam mathematicum præſtantiorem quidem exiſtentem naturali, deteriorem uero ideali. quemadmodum & anima noſtra quidem ſuperior eſt, intellectu uero poſterior.*

ALII uero mathematicum ſolum numerum eſſe primum entium ſeparatorum à ſenſibilibus.

XENOCRATICOS *dicit Alexander ipſum innuere, qui ſeparant quidem mathematicum numerum à ſenſibilibus, non tamen ſolum eſſe putant. nam quo pacto cum Platonici eſſent, & more Pythagoræ agere uellent, ab impartibilium et abſtractorum ab animæ ſubſtantia numerorum conſideratione deficere poſſent? ſed conſtat ipſos per mathematica nomina etiã quæ ad præſtãtiores numeros ſpectãt pertractare.*

PYTHAGORICI quoque unum mathematicum uerum non ſeparatum.

QVOD *quidem & ſenſibilia per numeros dicebant uiri à natura produci fatendum eſt, non quidem mathematicos, ſed naturales, ſed cum per comparationem exponerent, nihil erat improbabile etiam per mathematica nomina de unaquaque ſenſibilium proprietate demonſtrari. ſed imponere ipſis ſenſibilium ſolum numerorum cognitionem cum hoc quod deridendum non eſt etiam impium ſit. Cum receperint quidem ab Orpheo Theologica principia intelligibilium, & intellectualium numerorum, plurimumq; ipſa produxerint, & uſque ad ſenſibilia dominium ipſorum oſtenderint, & proprium habuerint prouerbium illud, numero cuncta aſſimilantur. Quo pacto non abſurdum eſt circa corpora ſolum, & corporibus coexiſtentes numeros dicere eſſe uerſa-*

tos

tos? Quo pacto etiam Pythagoras ipſe in ſacro ſermone, palam formarum, & idearum dominum eſſe numerum ipſum dixiſſet? & deorum beatorum cauſam, & antiquiſſimo, & imperanti artifici deo regulas, & rationem artificioſam intellectumq́;, & libram indeclinantiſſimam numerum ſuppoſuiſſet, conſtitutorq́;, & generator omnium numerus eſt. Philolaus autem mundanorum æternæ permanentiæ imperantem, & ſponte genitam con·inentiam numerum eſſe enunciauit, Hippaſus uero, & ἀκουσματικοὶ omnes, iudicatorium inſtrumentum fabricantis mundum Dei & exemplar factionis mundi uolunt eſſe numerum, niſi ſeparabilem eius à ſenſibilibus, & fabricatoriam ſimul, & exemplarem excellentiam conſideraſſent?

ALIVS uero quis primum numerum ſpecierum eſſe unum.

NI. FORTE *etiam hic in ideali omnes intuebatur, priores quidem eo ueluti profecto ad manifeſtius. poſteriores autem per cauſam exemplarem contentos.*

QVIDAM uero & mathematicum hunc eundem eſſe.

QVIDAM *inquit notum mathematicum auferebant. unum uero facientes numerum idealem, hunc ipſum uocabant & mathematicum. Ni forte igitur quia duplex eſt mathematicus, unus ex unitatibus, alter ſubſtantialis, quo rationalem animam opifex exornare dicitur. notum quidem multis ut in ſubſtantialem nolebant idealem uocari, ſed eum qui ſubſtantialiter animabus ineſt qui, & hunc ſponte ſua producit ex unitatibus conſtantem, non ducebant in idem cum ideali. idealem uero etiam ipſum non negabant uocandum eſſe, quatenus, & medias animæ rationes ideas appellare conſueuimus.*

SIMI-

SIMILITER autem & circa longitudines & ſuperficies, uſque ad id, quot modis igitur.

EADEM *dicimus etiam de geometricis nominibus. Aliter enim figuræ in intellectu ſunt, aliter in anima. ubique uero indimenſe, & figurate. ſi ſecundum rerum proprietatem conſiderationem adeunti, ſed non nominum uſum figuras infiguratas eſt, & impartibiles magnitudines ad compaſſionem facile uidetur recipi poſſe. Vnde diuinorum illorum uirorum quidam indiuiduas lineas ob hanc cauſam inducentes, & abſque quantitate binarium accuſati ſunt, alibi quidem, ut impoſſibilia dicentes. In his uero ut de mathematicis non mathematice docentes, & habemus ex ipſius accuſatoris ſermonibus, pro Xenocrate defenſionem, qui per ſe lineam non permittebat diuidi, nec quæ ſecundum medias animæ rationes, lineæ conſpiciuntur. ex qua cauſa, & numeros in rationibus intuens & ſpeciebus indiuiduales ſeruabat. nam & mathematicos ſecundum ſpeciem inſpiciebat magis, quàm ſecundum ſubiectam unitatum fuſionem. ſed dicere omnes præter Pythagoricos ex unitatibus numeros ponere, ſolos uero Pythagoricos dimenſionem habentes & magnitudinem falſum eſt, quo ad utrunque. nam neque numeros omnes alij ex unitatibus eſſe dicunt, ſed ſolum mathematicum: nec Pythagorici magnitudinem numero tradidernnt, ſed generabant quidem ex ultimis numeris magnitudines, ipſos uero impartibiles eſſe ſupponebant, & corporum effectiuos, & à ſapientibus rationibus abſtractos. ipſe uero ut probatiuum eius quòd apud alios ſint, ex unitatibus numeri aſſumpſit illud, quod ab uno ipſos ſubſiſtere faciunt, non magnifaciens unum apud eos non eſſe unitatum mathematicarum generatiuum, ſed boni, & optimi entium cauſam.*

QVOT modis igitur contingit dicendũ eſſe de ipſis.

SED *eſt dicendum, quod ſi quidem ſupponerent omnes ex*

unitatibus numeros eſſe, perfecte utique tibi membra diuiſionis procederent. nunc uero quædam ſuperfluunt, quædam ad deterius exponuntur. In quibus poterit utique quis conſpicere & ueræ illorum exiſtimationis uiuacitatem.

CAP. QVINTVM.

PRIMVM ergo conſiderandum ſi comparabiles.

HAEC *omnia fruſtra dicuntur. Diuinorum nanque & intellectualium numerorum nullus erit ex unitatibus. neque enim idealis erit numerus. non enim poteſt hic eſſe ex unitatibus. quot enim unitates hanc ideam, aut illam conſtituant difficile eſt & fingere. neque omnino alius quis eſt numerus præter mathematicum. ſed ſi falſa eſt tota propoſitio dicens omnem numerum eſſe ex unitatibus, nihil utique ex ipſa fuerit demonſtratum. quin potius contrarium eſt ex dictis concludere. ſi enim uerum eſt connexum, & iuxta Pythagoricos, & iuxta ipſum, dicere ſcilicet. ſi omnis numerus ex unitatibus eſt, non eſt idealis numerus, cum ſit idealis numerus, ut illi per plura comminiſcuntur, non erit omnis numerus ex unitatibus. Sed aſſumptio quidem apud Ariſtotelem antecedens ponens, & apud illos conſequens interimens indiget maiori confirmatione. Vnum autem hoc ab utriſque conceditur, quod idealis numerus non eſt ex unitatibus, & oportet hoc in uniuerſum permanere. nam ſi ſit, ut illi dicunt, non ex unitatibus. ſi non ſit, ut hic putat, neque omnino erit, qui ex unitatibus. Hic ergo aut ex unitatibus ipſum oſtendere uolens, aut dirigens ut ex unitatibus exiſtentem communes conſenſus non obſeruat.*

IDEA enim una cuiuſque.

HAEC *quoque uim habent probandi nõ eſſe ex unitatibus nu*

meros

meros ideas ipſas. ſiquidé unitates indifferentes ſunt. ſi enim eſt, inquit, in nouenario primus, & medius, & ultimus ternarius, ſi forte ſit per ſe homo, non magis erit primus ipſius nouenarij, quàm ſecundus, aut tertius. non oportet autem multas eſſe ideas per ſehominis, quia aut nullus, aut omnes. ſi autem impoſſibile eſt omnes, nullus igitur. non eſt igitur ex unitatibus numerus idea ipſa. Si quidem indifferentes ſunt unitates, & nullum abſurdum dicemus hoc ſequi. neque enim abſurda ſunt, neque ſi ſint impoſſibilia, penes aliud quid acciderunt quàm penes ſuppoſitionum nequitiam.

SI AVTEM non ſunt numeri ideæ, nec omnino poſſibile eſt ipſas eſſe.

QVOD *quidem ſi non ſunt numeri ideæ non omnino ſint recte uidetur mihi ſumere. Quòd autem non ſint, nec demonſtrauit, nec poſſibile fuerit demonſtrari. Sed quòd quidem ideæ non ſint numeri ex unitatibus conſtantes hoc pridem petit. probare autem non uult. eſt ergo qui per tria ſyllogiſmus huiuſcemodi. Si conſtituti ex unitatibus numeri non ſunt, unitates differentes non ſunt. ſi unitates differentes non ſunt, nec omnino ſunt numeri, nec ideæ omnino fuerint. probat ſecundum connexum hoc pacto. Entia ex uno & interminata dualitate apud ipſos ſubſiſtunt. omnia quæ ex uno & interminata dualitate ſubſiſtunt, numeri ſunt. entia igitur numeri ſunt, & ſanæ quidem ſunt ambæ propoſitiones, & uera concluſio. Sed neque unum, neque numerum accipit, ut nolunt uiri. Nam illi cum inſpicerent, ambas coordinationes circa unúquodque entium, meliorem quidem ab uno ad ipſum peruenire dicebant, deteriorem uero à dualitate. hic uero conſueto modo, & mathematice magis, uel potius (ſi opus eſt audentem dicere) Vilius intelligit nomina. Iterum illi reſultantia quandoque quidem*

ternarium uocabant, per ipſum tria principalitatem illorum numerorum oſtendentes, quandoque uero ſimpliciter numerum. hic uero ad eum, qui ex unitatibus reſultat trahit uſum huius nominis: quoniam neque categoricum abnuimus ſyllogiſmum omnium maxime demonſtrantem eſſe ideas, & eſſe numeros intellectuales, & impartibiles, ſi quis terminos in propoſitionibus poſitos decenter intelligit. Nec eum qui per tria, ſiquis ex deſtructione conſequentis flagitioſam ſuppoſitionem confutet: quoniam non poteſt antecedens probatum iri. ſi igitur ſunt ideæ, ut per plura uiri diuini demonſtrarunt, nos quoque mediocriter meminimus, non erunt ideæ numerus ex unitatibus conſtituti, cum unitates indifferentes ſint, nec etiam ut puto, ſi differentes ſint ſuppoſitæ, niſi quis aliud numeri ex unitatibus conſtituti ſignificatum ſubintellexerit. Recte etiam quodammodo dictum eſſe uiſum fuerit, non poſſe priores ipſas eſſe, nec poſteriores materias, ſiquidem non ſunt ideæ numeri. ambo nanque & ideæ, & numeri principia ſunt, & proxime ex principijs. quare niſi ambo ſint, alterum non fuerit. Veruntamen ei qui Theologicas Pythagoricorum doctrinas, & Platonis Parmenidem proſecutus fuerit, manifeſte conſtabit ante ideas numeros eſſe & ſingularem, & ſubſtantialem, & in omnibus diuinorum ordinibus elucere. Ideæ nanque quæ opificiæ ſunt, nec ſimpliciter ſunt primæ omnium. non enim ſunt ante prima genera entis, ſed ante ipſa quidem mundana eſſe dicuntur, non tamen eſſe maxime primum in entibus. & proxima ſui principia non primam habent unitatem, & maxime primam dualitatem, à quibus ternarius arcanus proceſſit, ſed eas quæ ſunt in ſimpliciſſimo intellectu opificis, à quibus reſiliunt, ueſtigia corporis exiſtentes. & hæc quidem ex alia pendent ſpeculatione. præſentia uero omnia pro nobis dicta ſunt ſi oſtenſum fuerit

eſſe

eſſe ideas. pro Ariſtotele uero ſi omnis numerus ſit ex unitatibus conſtitutus, cum indifferentes ſunt unitates.

SI AVTEM incomparabiles ſunt unitates.

QVOD *quidem ſi incomparabiles ſint unitates omnes inter ſe, & quæ in numero, & quæ in alijs, & cum hoc, omnis numerus ex unitatibus ſit conſtitutus, nec mathematicus erit numerus, nec idealis conſecutiue accipit. nam & mathematicus quidem, ſed ex differentibus unitatibus (hoc pacto enim & diuiſiones, & compoſitiones, & multiplicationes, & omnes in ipſo habitudines intelligimus) & idealis non poſſunt ex unitatibus ſibi ipſis mutuo comparabilibus conſtare. ſecundum ueritatem quidem, quia nec omnino ex unitatibus eſt. ſecundum ipſum uero quia oportet ex principijs ſimul generari duas unitates binarij, & eas quæ ternarij, quæ uero ex principijs ſimul generantur, inquit, indifferentia ſunt, in quibus meminit, & uerborum Platonis, oſtendens etiam ex ſententia illius ſingulum numerum totum generari ex principijs ex inæqualibus æquatum. Plato igitur innuebat per hæc diuerſa quidem inter ſe eſſe, & inæqualia ipſa diuina propter dualitatem, & ex unitate proceſſum. eadem uero & æqualia propter unitatem ex unitate conuerſionem, ſiue etiam manſionem ante proceſſum, & conuerſionem, gratum ſit alicui appellare. hic uero ut pridem inæqualibus quidem exiſtentibus numeris, aut unitatibus in numeris, nunc uero æquatis, memoriam facit. ſed oportet quidem ex unitatibus conſtitutum illinc excludere, inæquale uero, & æquale, idem & diuerſum, & manens, & procedens pariter cum uno apud ipſos conſiderare. & hæc quidem ſequuntur ad ſuppoſitionem. Sed unde quòd omnes numeri ſint ex unitatibus conſtituti. nam hoc ſemper perſeuerat ſumens, nunquam uero demonſtrat.*

Deinde ſi erit diuerſa unitas.

Hoc quoque *accipit ad demonſtrandum non eſſe incomparabiles quæ ſunt in ideali numero unitates. nam ſi ſunt incomparabiles in binario duæ unitates, hæc quidem ipſarum prior eſt, illa uero ſecunda. non enim profectò ſimul cum differentes ſint à principijs procedunt. ſed ſi hoc, etiam per ſe dualitas prior quidem erit iuniore, iunior uero priore. eſt enim miſtio duarum unitatum. nam ut miſtum ex uino, & melle, uino quidem dulcius eſt, melle uero minus dulce. ſic & dualitas poſterior quidem priore parte ſui, prior uero poſteriore. Sed quod ludentis potius, et ſubducentis ſint hæc quàm ſtudentis, & rei conuenientem facientis doctrinæ expoſitionem puto conſpicere ſolertiores.*

Amplius quoniam primum quidem eſt ipſum unum.

Quod *dicitur huiuſcemodi eſt, quod poſt ipſum unum principij rationem habens, & uim generandi uniuerſa, ſi priorem unitatem dualitate intellexerimus, erit dualitas ex uno principali, & unitate hac, antequam fiat dualitas. & rurſus ſi duas unitates denarij primo uni coniunxerimus, erit ternarius, antequam ſubſiſtant tria, & ſemper quantitas unitatum præſumet proprios numeros. ſed quòd hæc ludentis potius ſint quàm ſtudioſe loquentis ſæpius oſtendimus. nam rebus impartibilibus, & non quantitatis, & per omnia indiuiſibilibus huiuſcemodi partitionem, & materialem afferre diuiſionem, confuſionem ipſarum, & tranſpoſitionem operari, & ex primis, & poſterioribus, & omnibus conſequentibus unum quidem per compoſitionem conflare, & producere omnino eſt uiri non magnifacientis uerorum entium ueram concluſionem. ιccirco etiam ipſe annotat, quòd præter ea quæ illi opinantur, uidentur ea eſſe per quæ hæc ſubiungit.*

Nvl-

NVLLVS igitur hoc modo dixit.

IPSE quoque fatetur nullum incomparabiles has unitates tradidiſſe. Etenim ex illorum principijs eſſe conueniens eſt. ſed ueritate ipſa eſt impartibile. ſed quod ad illorum ſuppoſitiones conſequenter ſumuntur, tentat hoc pacto aſtruere. Si eſt unum principium ex ſententia ipſorum, & prima unitas, & poſt binarius neceſſe eſt, & ſecundum unum eſſe, & unitatem ſecundam, ubi nanque prima ſunt ibi & ſecunda, & ubi hæc,ibi & tria: & hoc pacto conſequenter. At ſi hæc ſic ſe habent, neceſſe eſt unitates eſſe diuerſas, & incomparabiles inter ſe. alia eſt enim tertia à ſecunda, & quarta à tertia, & manifeſtus eſt modus ludi. nam ſi unitates uocaret intelligibilium ſubſtantiarum ſingulas, aut numeri eis proprij. nullum eſſet abſurdum cum ſit ordo in diuinis rebus. hæc quidem eſſe prima, alia uero conſequenter ad hæc dicere ſubſiſtere. ſed quia mathematicas ſubiecto unitates conſiderans, rurſus quod eſt proprium ab eis aufert, cum incomparabiles ſupponat eſſe, & circa diuina per has ſuppoſitiones ludit, cur non ludum potius quàm ſtudium ſuſpicetur, quis eſſe quod ſit?

SIMVL autem ambo dicere.

HOC INTERMEDIVM adiecit. non enim putat poſſibile eſſe & unitatem, & binarium, primum ordinem habere poſt unum. ſi enim unitas prima eſt, eadem ratione & binarius. ſed dictum eſt in præcedentibus, quo pacto utrunque principiorum uiri dicebant primum, ut ſcilicet exerens & incipiens accommodatam ſibi coordinationem.

HI VERO faciunt unitatem quidem & unum primum.

HOC EST quod dicebat ſequi quidem ad illos, non tamen ab ipſis dici. & certe quod non dicatur, etiam ab ipſo

ſumen-

ſumendum eſt, ſed quod etiam non ſequatur, nouerit utique quis ſi animaduerterit. nam ubi ad primum ſecundum, & ad hoc tertium, & ad hoc ſuccedentia ſequuntur, coordinata ſunt omnia inter ſe, & ſunt cognata, & ordo ueluti in conſubſtantialibus, quæ præſtantia ſunt primis præbet. principijs uero nullum aliorum in dignitate par eſt. aliud enim eſt principium, & aliud quod ex principio. quapropter primum unum, & primam unitatem, & primum binarium in principijs ſupponentes uni quidem primum, & duobus ſecundum, & alia huiuſcemodi minime aſſumenda eſſe putabant. ſed ſi quandoque, & aliquid huiuſcemodi dicant, ea quæ his correſpondenter quidem profecta ſunt, mediarum uero & ultimarum ſubſtantiarum proximæ cauſæ ſunt aſſignantes uidentur. quas non in infinitum appellare, ſed quouſque ex proceſſu rerum diminutio per mutationem entium facere potuit. ita ut poſtrema principia ſint in natura ſenſibilium, & materiæ ſub alia exiſtentia ſupremorum principiorum ſimulachra, ipſa ultima.

MANIFESTVM autem & quòd non contingit, ſi incomparabiles ſunt unitates.

NON POTEST, *inquit, eſſe idealis numerus. hoc eſt per ſe dualitas, & per ſe ternarius ſe incomparabiles ſupponantur eſſe unitates. ad quod ſequitur non eſſe numerum ex unitatibus conſtitutum. hoc quidem prætermiſit, ſed intulit illud, quòd ſiue comparabiles ſint, ſiue incomparabiles unitates, neceſſe eſt non eſſe per ſe ternarium, eo quod omnis numerus per appoſitionem numeretur, & abſoluatur, ut binarius aſſumens unitatem, ternarius fiat, & ob hoc multos eſſe binarios in ſenario, & octonario, & duodenario, partemq; eſſe binarium, ternarij quidem duas partes, quaternarij uero medium. idealis uero numeri nihil eſſe huiuſcemodi. generatur enim apud eos ex unitate, & intermi-*

nata

nata dualitate, & eorum unuſquiſque unus eſt, & nullus unus alterius eſt pars. quæ quidem inſunt ideali recte dicens, ſed non recte præaſſumens quod omnis numerus menſuratur per appoſitionem, & abſoluitur. quæ enim propria ſunt numeri ex unitatibus conſtituti, non opportebat ad omnes numeros transferre. nil aliud igitur eſt quod & in his concluditur, quàm quòd impoſſibile eſt per ſebinarium eſſe numerum ex unitatibus conſtitutum. quod ante omnem rationem ab omnibus fere conceſſum eſt.

SED EX dualitate prima & interminata dualitate generatur quaternarius.

HOC VT *ad ſe ipſum inſtans dicit. ſed illi, inquit, ex per ſedualitate (hanc enim primam uocat dualitatem) & ex dualitate habente rationem principij, quam interminatam uocat dualitatem perficiebant quaternarium. non componentes ipſam, nec per compoſitionem angentes, ſed interminata dualitate duplata in per ſedualitatem, & hoc pacto pariente quaternarium. quapropter numerum qui ibi eſt, minime per appoſitionem conflauerunt. Hæc cũ ſibi quaſi oppoſuit, concedit quidem aliquod uerorum, quòd non per appoſitionem faciebant numerum, & quod uim habet faciendi binarios, & generandæ multitudinis, & multiplicationum cauſa eſt, alterum principiorum, quod omnia ad ſe ipſa diuina conuertit, & ad abſolutionem, & generationem ſecundarum, & tertiarum ſpecierum expergefacit. ſoluit autem inſtantiam uelociter quidem (ut putat) ſed ut cuilibet conſtat deceptorie.*

DVAE dualitates præter ipſam dualitatem. ſi autem non per ſe erit ipſa dualitas.

ETSI *non per appoſitionem, inquit, uelint numerum perficere, ſaltem in quaternario duas dualitates fatebuntur eſ-*

ſe

ſe præter per ſedualitatem. ſi autem hoc fugiant, iterum concedent partem eſſe per ſedualitatem per ſeternarij, & per appoſitionem erit numerus, altera dualitate per ſedualitati appoſita, & hoc pacto abſoluente quaternarium. Quaternarius uero erit ex per ſedualitate per eandem proportionem, & binarium ſubſiſtet ex principali uno & alio uno. Si autem hoc, impartibile eſt aliud principium interminatam eſſe dualitatem. nam quod generatur ab interminata dualitate, dualitas eſſe debuit. nunc autem non generatur dualitas, ſed unitas, quæ cum uno terminatam dualitatem abſoluit. ſi igitur, inquit, non receperint in per ſe quaternario duas eſſe dualitates præter per ſedualitatem, ſequitur ad eos hæc omnia per appoſitionem eſſe numerum, & auferri alterum principiorum. hæc uero ipſum ſic concludere abſurda, quia præaccipiat ſemper idearum numerum ex unitatibus eſſe conſtitutum ſæpe meminimus.

AMPLIVS præter ipſum ternarium & ipſum binarium.

ORDINABANT *quidem uiri poſt intellectualem numerum, & animalem, & mathematicum, & naturalem numerum, non tamen dicebant ipſos eſſe ex unitatibus conſtitutos, nec priores & poſteriores unitates uocabant, ut ſubiectas ipſorum quantitati. omnes enim erant apud eos non quanti, præter mathematicum, ternarios uero, & quinarios, & denarios in ipſis ſpeculabantur ex potentijs ipſorum, & proprietatibus quas habent ad diuinos numeros. Quinnarium nanque dicentes uerbi gratia iuſtitiam quæ eſt in nobis, non ex quinque unitatibus dicebant ipſam conſtare, poſteriorem quidem his quæ in intellectu, priorem uero his quæ in natura. ſed per alios occurſus quinarij ſpeciem coordinabant formæ iuſtitiæ. ſpeciem uero ſeptenarij formæ opportunitatis. formam uero ſenarij, & ab ipſo ortum cubum*

bum ei quæ eſt ipſius animæ. Quæ ſi iuxta illorum uoluntatem intellectu conſpicere aliquis poſſet, nec fictitia, nec impoſſibilia, ſed omnium eorum quæ quouis modo ſunt ut eſſent maxime poſſibilia opinaretur. Iccirco & ipſe dicit neceſſe eſſe priores eſſe & poſteriores ternarios et binarios, ſi quidem ex huiuſcemodi principijs perficiuntur. ſed cum ſit impoſſibile, conſequens uult & principia deſtruere. Nos uero eo quod his principijs aſſentimus, multos numerorum ordines admittimus, ſed quòd impoſſibile ſit etiam differentes numeros, nec uidimus concluſum, nec fieri poteſt, ut unquam intueamur. nam & uerum inconfutabile eſt, & falſum indemonſtrabile.

SI AVTEM quæ, quidem ſunt in alio, diuerſæ ſunt, quæ uero in eodem numero, indifferentes.

CVM *demonſtrauit quòd ſi omnes unitates indifferentes ſint, non erit idealis numerus, ſi ſcilicet ſupponatur omnem numerum eſſe ex unitatibus conſtitutum; & ſi omnes ſint differentes, nec mathematicum fore, nec idealem, ſiquidem omnis numerus eſt ex unitatibus conſtans; nunc accedit ad reſiduum diuiſionis, & oſtendit quòd neque ſi quædam unitatum indifferentes ſumptæ fuerint, quæcunque eiuſdem numeri ſunt, quædam uero differentes quæcunque alios, & alios complent; nec hoc pacto erit idealis numerus; ſi iterum ſupponatur, omnem numerum ex unitatibus conſtare. ab hac enim ſuppoſitione falſa ex neceſſitate, & deridenda ab his qui quæ illorum ſunt conſiderarunt, amoueri non uult, ex qua abſque aliqua difficultate multas, & abſurdas concludere poteſt concluſiones. ſimile ac ſi per ſe hominem, & per ſe animal, hoc quidem ex anima putet eſſe, & corpore, alterum uero ex tali anima, & tali corpore, cum hoc quòd riſibilis ſit. quibus quænam ad riſum poſſent inſigniora reperiri? Multa igitur eorum quæ ſcribuntur ab*

eo per quæ multos quidem quinarios facit multos quoque denarios dimittat. omnino autem ex his quæ prediximus manifeſta ſunt. Illud autem, Binifactiua erat, ſumptum eſt ex his quæ conſueuerunt ab illis dici. Interpolluitur autem ſophiſma quoddam ut imminens. ſed intelligit ab antiquioribus ſe philoſophis dualitatem interminatam quæ principium motiuum eſt, formas omnes fœcunda replere potentia, & plurificare, & deducere ad generationem ſecundarum, & tertiarum formarum immaterialium. binifactiua autem dicta eſt, quatenus in progreſſu multitudinem quidem attribuit ueluti duplatam, primo uero ſummittit. ſimulq́; quod & mathematici numeri principium omnes impares, & pares duplans, parem ſubſiſtere facit. nam etſi omnium numerorum unitas, & dualitas ſint principia, ſcimus tamen quo pacto mares quidem unitas inſpicit, & ob hoc imparifactiua alterius, dualitas uero feminæ ſimilis & ob hoc paris prior, & ductrix. fieri igitur poteſt, ut per ſimilitudinem etiam antiquiorum numerorum ipſa conſideremus, unitates quidem etiam quantitatem recuſantes, formas uero, & potentias conſiderantes ſeparabilium numerorum.

AMPLIVS eſſe præter duas unitates dualitatem naturam quandam.

HAEC *aduerſus diuinos numeros ullo modo dubitata ſunt. non enim ſunt hi ex unitatibus conſtituti, ut quæramus quid eſt unuſquiſque præter ſubiectas ei unitates. ſed aduerſus mathematicum accommodatius utique dici poſſent. Dicemus ergo & pro mathematico contra ad ipſum. quòd quemadmodum in quacunque re etiam ex ſententia ſua, hoc quidem materiæ ſimile eſt, illud uero formæ, etiam in quinario quinque unitates, & omnino quantitas, & quod ſubijcitur numerus eſt ab ipſa dualitate. forma uero*

hoc

hoc eſt quinarius ipſe, ab unitate eſt. omnis nanque forma & ipſa unitas eſt, & ſubiectam unit quantitatem, ut quinarius ipſeq; unitas eſt. iccirco procedit ab unitate principali, ſeu principij rationem habente, & ſubiectam quantitatem format interim cum informis eſt, & ſuæ ſpeciei connectit. intellexiſſe enim opus eſt. iterum duo mathematicorum numerorum principia in animabus noſtris exiſtentia, penes quæ omnis paritur mathematicus numerus, unitatem quidem quæ omnes in ſe numerorum formas amplectitur, & reſpondet unitati quæ eſt in intellectibus. unitatem uero generatiuam quandam potentiam, & informem, & infinitæ uirtutis; quæ etiam ipſa hac de cauſa ad imaginem indeficientis, & intelligibilis dualitatis interminata uocata eſt: ab hac igitur ad omnia currente, & quonam quæſo non procedente? non abſoluitur unitas, ſed ſemper quod ab ipſa procedit quantum interminatum diſtinguit, & format, & ſpecificat omnes ordinatos proceſſus, & abſque fuco formis perornans, & quemadmodum in mundum rebus, nec informe aliquid eſt, nec uacuum intercidit. inter ipſa ſpecificata ex opificis prouidentia: ſic etiam in mathematico numero. nec innumerabilis relinquitur aliqua quantitas. nanque hoc pacto uinceretur unitatis formatiua potentia ab interminata dualitate, nec medium aliquod inter conſequentes numeros, & bene diſpoſitam unitatis operationem. neque igitur ex ſubſtantia, & accidente ſubſiſtit quinarius, ut albus homo, nec ex genere, & differentia, ut homo ex animali, & bipede. nec ex quinque unitatibus tangentibus ſe mutuo, ut eſt uinculum lignorum. nec miſtis ut uinomel, nec poſitionem ſubſtinentibus, ut lapides domum abſoluunt, neque etiam ut numerabilia (nihil eſt præter ſingularia.) (Concedatur enim ei ad præſens duos homines nihil eſſe præter utrunque) & ſi Platoni hæc omnia uideantur participatione alicuius formæ diuerſos numeros

etiam ipſa ſuſcipere, ut in Phædone ſcriptum eſt. non inſit tamen hoc numerabilibus ad præſens, ſed numeri ipſi, non quia ex indiuiduis unitatibus conſtent, ob hoc aliud quid præter unitates habent. nam & multa puncta indiuidualia ſunt. attamen non ob hoc aliud quid ab ipſis punctis complere uidentur; ſed quia eſt in eis quod reſpondet hoc quidem materiæ, illud autem formæ. Denique cum ternarium quaternario componimus, & facimus ſeptenarium: dicimus ſic, non eſt tamen quod dicitur uerum. enimuero unitates ipſæ unitatibus compoſitæ ſubiectum faciunt numeri ſeptenarij. ſed fit ſeptenarius & unitatibus tot, & ſeptenitate. quis igitur eſt qui ſeptenitatem unitatibus affert? quis etiam formam lecticæ abſoluit huiuſcemodi compoſitioni lignorum? An mathematicum eſt quòd anima carpentarij eo quòd artem habeat informat ligna ad lecticam, anima uero numeratiua eo quòd in ſeipſa habeat unitatem principij rationem habentem, omnes format, ſeu ſpecificat, & ſubſiſtere facit numeros? ſed in hoc tantum eſt differentia, quòd ars lignaria, nec natura nobis ineſt, & indiget manuum operatione, quia circa ſenſibilem materiam uerſatur: numeratiua uero & natura nobis adeſt, & idcirco omnibus adeſt, & intellectualem habet materiam, unde ipſam & facile, & abſque tempore format. & forte hoc ipſum eſt, quod multos decepit, qui putarunt numerum ſeptenarium nihil eſſe præter tot unitates. uulgarium enim, & rudium imaginatio niſi prius rem inornatam uiderit, deinde in ipſum extenſam ornantis operationem, deinde ſuper omnia rem ipſam, quæuis ſit, perfectam, atque formatam, non perſuadetur quòd duas naturas habeat, hanc quidem informem, alteram uero formalem, & adhuc extra hæc, formam afferentem, ſed & unum ſubiectum dicit, & ingenerabile, cauſam uero ipſius nunquam intelligere. Idcirco uidentur mihi theologiq; , & Plato ingenerabilium ex

tem-

tempore generationes aſſignare, & eorum, quæ ſemper diſpoſita fuerunt, antiquum habitum indiſpoſitum, inordinatumq́; eſſe & errabundum, & interminatum enunciare, ut in formalis, & effectiuæ cauſæ homines cognitionem adducant. nihil ergo mirandum eſt, etſi nunquam ſenſibiles ſint unitates abſque ſeptenario, ſeptenarium tamen, compoſitumq́; à ſcientia hæc diſtingueute euunciari, & habere aliquid quod ſubiecto, materiæq́; reſpondet, & aliquid quod ſpeciei, & formæ.

AT VERO nec hoc oportet latere.

PERFECTIO *ſermonis huiuſcemodi eſt, At uero nec hoc oportet latere, quòd accidit ex hac ſuppoſitione binarios binarijs eſſe priores, & alios numeros alijs numeris, ut ternarios ternarijs eſſe priores. quo pacto igitur hoc ab ipſo oſtenditur, audiamus.*

QVAE ENIM in quaternario dualitates ſint inuicem ſimul.

HAEC *quidem dicta ſunt ex conceptu illo, ex quo duo factiuum exiſtens principiorum alterum duplare ſingulos numeros dicebatur. ſed non modo non feruntur hæc contra idealem, & omnino impartibilem, & non quantum numerum, ſed nec aduerſus mathematicum, & ex unitatibus conſtitutum. Quantitates nanque numerorum minorum ſunt, quæ una apponuntur, & ſubijciuntur formæ maioris numeri, ut dictum eſt, non autem numeri ipſi. ut igitur cum aqua in aerem tranſmutatur, non aqua aer fit, aut ſubiectum aeris, ſed quod erat aquæ ſubiectum, fit aeri ſubiectum: ſic etiam cum ternarius binarium aſſumit, non ſpecies numerorum miſcentur, niſi in immaterialibus ipſorum rationibus, in quibus & diſtincta uniri non prohibentur, ſed unitates ſunt materia ipſa appoſita. unus igitur eſt & ternarius,*

rius, & quaternarius, etiam qui in mathematico. nam etſi in nouenario hunc quidem primum, illum ſecundum, alium uero ultimum intelligas ternarium, unum uides ter aſſumptum, & omnino in nouenario, nil aliud uides quàm nouenitatis formam in quantitate. Sed ſi intellectu partiaris ipſius ſubiectum (forma nanque impartibilis eſt) ſtatim ipſum etiam formas proprijs formis partitionis. nam quod informe eſt, indiſpoſitum, ſeu informatum, noſtra anima non tolerat uidere, & aliter quàm ipſa ipſum diſponere poſſit.

EADEM quoque ratio in unitatibus.

NVLLVM *quoque horum contra antiquorum ſpeculationē protenditur. nec enim ex unitatibus eſt idearum numerus, & ſi dicatur unitas, numerus quidem ut forma pura ſibi ipſi participalia reddens ſimilia. Vnitas uero ut formarum animalium naturalium, & ſenſibilium menſura exiſtens, & prior menſura, nec conſtant ideæ ex ideis ex ſententia ipſorum. equi, exempli cauſa, ex idea hominis, & canis, ut etiam qui hic eſt equus ex ſenſibilibus naturis quæ hic ſunt compoſitus ſit. Nam hæc omnia mordentis potius erunt quàm ſtudentis. ſed neque in mathematico numero differentes ſunt unitates, ſed omnes indifferentes quæ ſubijciuntur numeris, dempta illa quæ cum ſit principium omnium, & fons, & mater, tantum abeſt ut fiat ex his quæ ipſam formarunt, ut formæ omnes ab ipſa in omnes numeros proficiſcantur. æquiuocæ autem ſunt non unitati ſoli multæ unitates, ſed & mathematicorum interminata dualitas ipſi interminatæ dualitati. interminata enim principium eſt cuiuslibet, ſed præſertim paris. Terminata uero aliter eſt principium, non ut productiuum, & generatiuum, ſed ut quod primum eſt in re principium eius dicimus, ut libri de Republica,*

Deſcen-

Deſcendi heri in Pyræum.

OMNINO autem facere unitates differentes quouis modo abſurdum eſt.

HAEC *non dicuntur contra unitates quæ ſubijciuntur numeris. nam nec quantitate differunt, cum omnes minimæ ſint, nec qualitate, ſunt enim informes. recte autem, & fictitium eſſe decretum eſt.*

NECESSEQVE aut æqualem, aut inæqualem eſſe numerum.

ET HOC *recte. æqualitas nanque & inæqualitas omnem numerum permeat, naturalem, & ſupernum, & mathematicum. Aduertendum eſt autem huic dicto, in quo manifeſte fatetur, & ipſe non omnes numeros eſſe ex unitatibus conſtitutos. nam uerbum illud, ſed maxime ex unitatibus conſtitutum, eſt confirmatio manifeſta doctrinæ antiquorum. non eſt igitur aliquid demonſtratum nobis contra numeros ex unitatibus conſtitutos, quoniam ex unitatibus omnes argumentationes ſumebantur.*

QVARE ſi neque amplior, neque minor, æqualis.

ETIAM *hæc recte ualde dicta ſunt de multis unitatibus, & non eas ſolas indifferentes oſtendit, ſed etiam æquales numeros. ita ut (quod dicebamus) unus ſit ternarius, & ſi ſæpe ſumatur in trigenario. æqualia enim in numeris eadem ſunt. indifferentes ergo etiam in denario ſunt dualitates, non quia unitates ipſarum ſint indifferentes (nam etiam hoc eſt) ſed quia forma una eſt, una uero non ut in diuerſa ſubiecta ſeipſam ſpargens. unam enim ſolam numero dualitatem facit, ſed ut ex unitate principij rationem habente procedens, & manens perfecte una. Nam*

ſi etiam nos concederemus ex quinque binarijs conſtare denarium, quemadmodum habere decem unitates, neceſſe eſſet fateri multas quidem eſſe dualitates numero, unam uero ſpecie. ſed, quia non dicimus binarios compoſitos facere denarium, formæ nanque numerorum ſimplices ſunt, & ex unitate procedunt. quare, & quæ eſt denarij, non eo, quòd unitates ſubiectæ binario ulterius productæ ſubiectum fiant, ſed quia denarius procedit à proprio principio, quod ipſum denarium perficit cum ſubiecto, non cogimur multos numero binarios ſupponere, ne ipſas numerabiles pro numeris faciamus. quoniam, etiam ſi multi eſſent binarij, ut ipſe putat, & multi ternarij, & denarij multi, & ſimpliciter quicunque numerorum ex unitatibus conſtantium eſſet multus, & infinitus, neceſſe eſſet, & totum ſimul mathematicum numerum non unum eſſe, ſed infinitos eſſe mathematicos numeros. uidetur autem unus eſſe mathematicus numerus, uniuerſalis ſcilicet. quare & ſic, mathematicus unus eſt, ut ternarius, & quaternarius, & aliorum unuſquiſque, ut & totus unus ſit ex ipſis conſtans. nam ſi quis & totum multipliciter eſſe dicat, & infinite, ut quæ ſunt ex ſingularibus eiuſdem ſpeciei, rurſus ad unam formam recurremus, quam conſiderat mathematica, & inueniemus unam quidem formam mathematici numeri, unum autem binarium complectentem, & unum quaternarium, & non multos; ne iterum etiam totus multiplex fiat, & hoc in infinitum procedat. neque igitur diuidimus denarium in quinque binarios, ſed quinquies ſubiectum denario, & ſubiectum binario aſſumi dicimus, nec componimus denarium ex quinque binarijs, ne compoſitam eſſe ipſius formam enunciemus. Quod neque in ſenſibilibus formis à natura uidemus fieri,

ri,

ri, neque omnino numerum multum eſſe dicimus condiuiſum ſubiecto, ſed unumquenque multipliciter ſubſiſtere, ſi debeat eſſe numerus purus, & non numerabile.

AMPLIVS ſi omnis unitas & unitas alia duæ.

HOC QVIDEM *de idealibus numeris, & in præcedentibus, & nunc ridiculoſe dicuntur. nam nec duæ unitates ſubiectæ ſunt per ſe dualitati, nec tres per ſe ternario. nec ſi eſſent ſubiectæ poſſibile eſſet auferre ex utraque, & facere aliquid aliud, quoniam & identitas, & diuerſitas eſt in utraque ipſarum. etſi ex utraque ipſarum diuerſitatem abſtuleris, aut ab una diuerſitatem ab altera identitatem, nullum profecto tertium miſtum ex utraque conflabis, & quæres utrum amborum eſt poſterius, quod ex utriſque ſubſiſtit, aut priori quidem ipſorum poſterius. priori uero prius, quod magis inquit neceſſe eſt eſſe. omnes nanque hæ ex materialibus omnino partibilibus quæſtiones ſumptæ ſunt, & indigne intellectualibus & ſimplicibus, & omnino impartibilibus ſubſtantijs afferuntur. Si autem de mathematico ipſas proponere uolebat numero, magis utique mouiſſet dubitationem quod propoſitum fuit: nihilominus ex præcedentibus etiam hoc habuit ſolutionem. neque enim ex binario, neque ex ternario oportet nos auferre, ut faciamus alios binarios. nam hæc circa numerabilia accidunt, ut ex duobus equis & tribus hominibus. Si igitur ex utriſque accipiamus binarium, quaternarium facimus ex diſſimilibus unitatibus. neque omnino in quocunque duo ſunt duo, & tria tria. Si autem eſt uterque ipſorum, quod eſt dualitatem poterit abijcere: ſed has omnes imaginationes qui numeros poſterius genitos enunciant, & ex ſenſibilibus expoliari, et multiplicem ſingulum eſſe, circumuoluunt pura conſideratione.*

ET NOS quidem opinamur omnino unum, & unum duo eſſe.

NEQVE enim ut numerabiles attingit res, & ob hoc menſura utitur circa ipſas, numero ex unitatibus conſtitutio. Illiq; ſi unitates ſubiectas numero ex unitatibus conſtanti, diuerſas eſſe dicant, recte increpantur. ſi autem ſingulas formarum unitates uocant, ut priores rebus quæ hic ſunt, quo pacto non neceſſe eſt diuerſis exiſtentibus formis diuerſas unitates ipſos dicere? & eſſent utique, & quæ in intellectu ſunt, inter ſe differentes propter diuerſitatem, quæ eſt in eis: & multo magis, quæ in anima ſunt ipſis intellectualibus, quanto maior eſt remotio. & iterum omnes comparabiles propter unionem ex per ſe bono in omnia peruenientem, & ob identitatis uictoriam in immaterialibus formis. Sed hic quidem modus alteri conſiderationi pertinet. ſed nec aliquas unitatum quas nunc Ariſtoteles examinat, reduxerunt ad ideales numeros, nec differentias tradiderunt Pythagorici.

SIVE itaque non eſt amplior numerus qui ternarii ipſius, quàm qui binarii.

PRIMVM quidem non mireris ſe ipſum binarium, & ipſum ternarium dicentes eſſe, nec ampliorem dicunt ternarium binario, neque in eſſe binarium ternario. nam nec quantitate hi numeri participant, nec æqualitatis, aut inæqualitatis forma ſic eſt in eis, ut in numeris ex unitatibus compoſitis. nam in illis nunquam æquales, inæquales etiam ſunt. ſed in idealibus ijdem & æquales, & inæquales ſunt inter ſe, quemadmodum ijdem & diuerſi. ob generum entis, & maxime comprehenſiuarum formarum in eis præſentiam, & non eſt ob hoc in eis contradictio. non enim qua æquales hac & inæquales, nec qua ſimiles, hac & diſſimiles, nec qua ijdem, hac & diuerſi. ſed ſimiles quidem æquales, & ijdem

dem ob ſimilitudinem æqualitatem, & identitatem: diſſimiles uero, inæquales, & diuerſi, propter ueluti oppoſitas prioribus formas. fieri enim non poſſet, ut cum in principijs unitas, & interminata dualitas ſint, non & quæ ab ipſis ſubſtiterunt, utrorumque potentias recepiſſent. Super his intelligere oportet, quòd Ariſtoteles nõ eum, qui in ideis indifferentem facit. quid enim ſi & æqualitate, & diuerſitate ideæ participent, ſed ſi forte & in numeris ex unitatibus conſtitutis.

SED NON contingit ſi primus aliquis eſt numerus.

ET QVIDEM *non contingit duos binarios indifferentes eſſe in numero ideali, non dicit. quod uero ad eius ſuppoſitionem ſequatur, cum quantitatem ex unitatibus conſtitutam diſtribuat, ſeu communicet intellectualibus formis fateri non uult.*

HOC ENIM recte dicunt, qui differentes unitates putant eſſe.

DICVNT *enim ſibi ipſis conſequentia qui idearum numerum ex differentibus unitatibus conſtare dicunt, ne multas eiuſdem ideas facere cogantur, & relinquere binarium, & in quaternario & ſenario, & uniuerſaliter in omnibus numeris, ſi indifferentes ſunt unitates. Illud quoque ex ſententia eius recte dicunt, & ſuæ ſuppoſitioni conſentaneum, non eſſe opus duobus unitatem apponentes, ternarium ibi facere. non enim differentes ſunt in binario, & ternario unitates, ſed incomparabiles. quapropter oportet ſeparare ſingulum numerorum, & ab alio principio ad ſequentia tranſire. nam ſi numeri quidem ideæ ſunt, ideæ uero non continentur à ſe ipſis ideis ita, ut ſint pars continentius. neque utique numeri partes fuerint aliorum numerorum; ſed hoc inerit eis ſi differentes ſint in eis*

unitates. Hæc uero inquit etſi ſuppoſitionem ſeruent, euertunt tamen multa arithmeticorum ſpeculationum. Icc irco quo ad ſuam ſuppoſitionem recte dicunt, ſed ſimpliciter non recte: ſed quod uiri illi ipſas unitates non putarent prorſus eſſe in ideali numero, aliterq́; numeros ipſos unitates eſſe dicentes differentes, & ſibi ipſis & rerum naturæ conſentanea dicerent, non uult dicere.

QVONIAM hoc ipſum habere quandam dicent dubitationem.

CONSVEVERE, *inquit, dubitare, opus ne ſit à binario in ternarium tranſire, & quatuor, & quinque, & omnino per compoſitionem numerare, aut per diuiſionem à denario ſumere unum, duo, tria, quatuor. nam ipſis quidem nullum horum placere: nobis uero, inquit, dicendum eſt, ridiculum eſſe ex adeo tenui quæſtione ſingulum numerorum idem facere ſecundum ideam. reſpondendumq́; eſt eis quòd utroſque facimus. Cum enim terminatus eſt maximus, diuidimus: cum autem interminatus, componimus. ſed quòd hæc quidem ad idealem numerum nullo modo reduci poſſint, ad mathematicum uero quodam modo poſſint, quodam modo non, ſæpe annotauimus, ut & dubitatio antiquorum ualde ſcientifica appareat, & occurſus Ariſtotelis non ex omni parte falſus. nam actu ternarius eſt, qui formam trinitatis recipiens unus eſt, etſi unitatem aſſumpſerit, non utique fiat quatuor. nam quo pacto trinitatis forma in quaternitatis formam tranſmutari poterit? potentia uero ternarius eſt, qui in tribus ſolis unitatibus conſideratur. qui cum ſine forma trinitatis intelligitur, ſi unitatem aſſumpſerit, faciet utique ſubiectum quaternarij, quem, quatenus eſt informis, non impoſſibile eſt, ſi unitatem aſſumpſerit facere ſubiectum quinarij: occupatum uero à forma trinitatis ternarium ſolum facit. Diuiſiones igitur & multiplicationes ex*

materia

materia, & quantitate numerorum perficiuntur, non ex formis. nam hæ non ſolum ipſæ immobiles, ſed quibus utique ſuperuenerint, his unam afferunt formam ſuam.

CAP. SEXTVM.

OMNIVM uero primum recte ſe habet determinare.

PRAEDIXIMVS *ſæpius quòd aliter quidem illi dicebant unitates, & numeros ipſas ideas. aliter uero hic proponit proprias exiſtentes numeri ex unitatibus conſtituti quæſtiones, & ubi diuiſit, & ubi reſpondet. nam ſi unitates ſubiectæ mathematico numero differentes eſſent, multipliciter ternarius, & quinarius, & unuſquiſque ſubſiſtet, & differet ternarius qui uidetur eſſe in ſeptenario, ab eo qui in quinario, & denario.*

AMPLIVS utrum primæ maiores, aut minores.

ETIAM *hæc contra unitates, quæ conſueto modo dicuntur, recte dicta ſunt, ſiquis tamen genitos etiam numeros ex unitatibus conſtitutos intelligat formam, quæ qualitatem ipſam affert, poſterius uidebit formare ſubiectam ſibi quantitatem.*

AMPLIVS neque hoc ab uno eis utique fiat, neque utique à dualitate.

QVOD *quidem ſi eſt aliquid in his. quæ ſunt poſt principia à principijs debet progenerari, dicit mediocriter, & quòd notis unitatibus numeri, & principia differentiam non aggenerant, quia nec omnino diuerſæ ſunt. etiam hoc recte dicitur: quia autem unum quod pro unitate principij rationem habente aſſumpſit. cum nolit ipſum eſſe quale, non concedit*

concedit qualitatis eſſe cauſam, differt & ut ad illos & ut ad uerum: quoniam & dualitas interminata quantitatis potius cauſa ſit, non quanti & qualis; ſed procedit iterum hæc exiſtimatio ex eo quòd putat nihil eſſe ternarium præter tres unitates. nam re uera, ſi hoc ſic ſe haberet, quantum generans dualitas etiam quale producetur. Nunc uero hæc quidem infinitas generat unitates, altera uero melius principium ſpeciebus ipſas concludit, & informat. Recte autem expetit ipſos dicere, non ſolum quòd differant unitates, ſed quæ unitatum differentia, & dixerunt quippe non ſubiectarum numero unitatum differentiam. neque enim eſſe putant, ſed & harum & initiatiuæ ipſarum cauſæ. nam cũ dicunt unitatem eſſe quantitatis minimum, aut quantitatis primam, & communem partem, definiũt unitatem notam. Cum autem dicunt unitatem eſſe formarum formam, initiatiuam ipſarum cauſam oſtendunt, quæ omnium in ſe ipſa numerorum formas præaſſumpſit, quam & Stoici unam multitudinem appellare non torpuerunt: quoniam & cum de diuinis unitatibus diſputant, aliter quidem intellectualem unitatem determinant, à qua poſt procedit numerus unius ex latebra æterna: aliter uero intellectualem & opificiam, quam & Iouem uocari uoluerunt. De quibus multi quidem ueterum, plerique etiam recentiorum diſſeruerunt. lucidiſſime uero diuus Iamblichus in ſeptimo libro. collectionis Pythagoricorum dogmatum, ſi quis uero ſacrum ipſum Pythagoræ ſermonem conſequi poſſet, omnes ibi inueniet ordines & unitatum & numerorum, nullo prætermiſſo, ad unguem laudatos. Habemus igitur ab eis & neceſſitatem differentiæ unitatum inter ſe. Nam in unoquoque proceſſu neceſſe eſt exponentem ordinem illum unitatem plurificari magis quàm præcedentes ipſam, & quas oportet putare ipſarum eſſe differentias. quot enim & quales entium tot, &

huiuſcemodi

huiuſcemodi ſunt principij rationem habentium unitatum differentiæ.

QVOD igitur ſiquidem ſunt numeri ideæ.

PROFECTO *ſi eſſent ideæ numeri ex unitatibus conſtituti, omnes unitatum ſuppoſitiones in ipſis redarguerentur. nam ſiue indifferentes ſint ipſarum unitates, multa abſurda ſunt. nulla enim erit inter numerum ex unitatibus conſtitutum & idealem differentia, ſiue differentes fictitius eſt ſermo: ſiue etiam quædam hoc modo, quædam illo ſe habere ſuppoſitæ fuerint. At ſi non dicat quis ex unitatibus conſtitutum eſſe idearum numerum, à nullo eorum quæ ab ipſo dicta ſunt, perturbabitur. nihil enim omnino contra ipſum dictum eſt.*

AT VERO ut plerique alii dicunt.

SI QVIDEM *ſint aliqui hæc dicentes, iure ab ipſo improbantur; ſed ni forte idearum quidem nomine abutebantur: per mathematica autem nomina de diuinis ſubſtantijs innuebant. nam quo pacto unum & numerum uniuerſis præpoſuiſſent, niſi ipſum ſuperſubſtantiale unum, & uere entia & idearum diſpoſitionem adoraſſent. Ariſtoteles uero ad ſuam ſuppoſitionem conſequentia etiam hæc ſcribit.*

ABSVRDVM enim eſt, unum eſſe aliquid primum.

RECTE, *dogmatis ad ſeipſum uidet conſonantiam. Si enim procedunt unitates in unoquoque ordine entium ductricem dignitatem habentes, & proceſſerunt omnes ab uno ſuperſubſtantiali, & ab omnibus abſtracto, neceſſe eſt eſſe idealem numerum.*

SI IGITVR ita ſe habent quæ circa numeros.

TOTA *ratio huiuſcemodi eſt, ſi mathematicus eſt ſolus numerus,*

numerus, non erit unum entium principium: ſi autem eſt unum ipſum principium, uincit Plato, & eſt idealis numerus, & differt alter ab altero ſubſtantia. noſtrum uero deinceps fuerit oſtendere, quòd unum eſt principium uniuerſorum, quod cum nec intellectus, nec ens, nec numerus ſit, et ipſius exiſtentiæ & eſſe eſt cauſa bona, & omnibus ſubſtantiam & unionem ſuggerit. hoc enim ſufficienter aſtructo, uidetur Ariſtoteles omnibus legitimis Pythagoræ, & Platonis dogmatibus conceſſurus.

AT SIQVIS iterum hoc poſuerit, multa impoſsibilia accidunt.

NVLLVM *profectò accidet, ſi rectè quis ipſa, & ad intellectum antiquorum philoſophorum ſuppoſuerit.*

AT VERO neceſſe eſt aut ſic, aut illo modo ſe habere.

SI SEPARABILIS, *inquit, eſt numerus, neceſſe eſt aut mathematicum eſſe primum, aut idealem. At ſi neutro modo contingit, perimitur & præcedens: uerum nec ipſum connexum ex omni parte ſanum eſt. ſunt enim etiam ante idealem alij numeri. nec aſſumptio eſt demonſtrata, nec demonſtrata unquam fuerit.*

MANIFESTVM autem eſt, & ex his quòd peſsime dicitur.

QVOSDAM, *inquit, duos numeros facere, & diſcernere ipſos, ut Platonem. manifeſte nanque mathematicum alterum dicit eſſe ab ideali, quoſdam unum mathematicum, ut quoſdam Pythagoreorum, quoſdam uero utroſque cognoſcere, ſed unum ipſos facere. Innuit autem forte Speuſippum, & Xenocratem, quos & peſſimæ ſuppoſitioni præeſſe dicit, & ob quas cauſas manifeſtè dicit. prædiximus autem, & nos*

nos de his, & ſi eiſdem uterentur nominibus. nouerant tamen ſecundum formas diſcretionem differentium numerorum, quoniam & qui aliter numeros hos non diſcernit, ſed confundit, & idealem numerum habentem in ſeipſo mathematicum numerum uniuerſorum conſtitutorem facit, & factori omnium materialem habitum circumponit, quibus quid fuerit incredibilius?

MODVS autem Pythagoricorum.

RE VERA *ſpeculatio Pythagoricorum eſt, & Pythagoræ, & eorum qui legitime, quæ ab eis de numeris dogmata tradita ſunt, ſuſceperunt. hic uero ſubdiuidit, & circa quod uerſati ſunt ſinguli hoc ſolum dicit ipſos uenerari. Denique Pythagoricos ut quidem inſeparabiles à ſenſibilibus numeros eſſe dicentes laudat. ſed quia conſtare, & generari corpora ex eis dicunt, hæc accuſat, ſed eſt laus falſa, & deterior accuſatione, uel potius ambæ falſæ & laus, & uituperatio; ſed una quidem eo quòd per ſuppoſitionem nihil eis conuenientem facta ſit: altera uero quia per non ueram. eſt autem manifeſtum qualis in utraque ſit, quis nanque non rideret? audiens quòd Pythagorici ſeparabiles nnmeros non nouerunt, tum Pythagoras ipſe duobus modis definire numeros ſolitus eſſet, & per unam definitionum ſeparabilem omnino ex ipſis, & impollutum oſtenderit: per alteram uero opificium ex ipſis, & prouiſorium, & cuſtodem uniuerſorum edocuerit. nam cum extenſionem, & operationem ſeminalium rationum in unitate exiſtentium numerum eſſe dicit, eum qui à ſuo principio ex ſe fœcunde, & ex ſe mobiliter proficiſcitur, & eum qui in ſeipſo locatur, & in formis omnifarijs ſeparatum aſſignat. Cum uero quod ante omnia ſubſiſtit in diuino intellectu, à quo, & ex quo omnia coordinata ſunt, ordine inſolubili dearticulata, exemplarem, & factorem, & patrem deorum, & dæmonum, &*

 mor-

mortalium omnium extollit. Cumq; qui circa Hippaſum, numerum eſſe dicerent exemplar primum fabricationis mundi, & iterum iudicatorium inſtrumentum fabricantis mundum Dei. Philolaus quoque affirmat numerum eſſe continuationem æternæ mundanorum permanentiæ, ex ſe genitam & imperantem, omnesq; fere alij Pythagorici per ueſtigia huius conſiderationis numerorum exiſtimationem diſtinguerent. Sed ſi quia & corpora dicant ex naturalibus numeris habuiſſe ſubſiſtentiam, ob hoc aut de ſolis inſeparabilibus putet quis differre ipſos, aut etiam magnitudines numeris præbere, uelit nolit manifeſte oſtendit ſe uniuerſam eorum doctrinam transgredi, & quæ ultima ſunt numeralis ipſorum conſiderationis in deterius excipere tentare. nam nec de ſolis naturalibus numeris uiri differunt: nec in idem ferunt naturalem, & mathematicum, nec magnitudinem tradunt numeris, qui magnitudinum cauſæ ſunt. hic uero, ac ſi hæc ſic ſe haberent etiam ſequentia concludit.

NEQVE enim indiuiduas magnitudines dicere uerum eſt.

QVAE *quidem dicunt uiri redargui non poſſunt, & permanent uniuerſo tempore. uerum enim non redarguitur ex ſententia diui Socratis. Quæ uero nunc redarguuntur, unicuique potius quàm Pythagoricis conuenirent. neque enim numerum quo menſuramus ſenſibilia, cauſam eſſe ſenſibilium dicunt. & ſi conſiderent in ipſo imagines ſenſibilis numeri, ſicut in areola illa ducentum decem corporis ideam oſtendi affirmabatur. Ignis uero ut in uno, aeris uero in ternario, & terræ in ſeptenario, & aquæ in nouenario. hæc enim per quandam ſimilitudinem ab ipſis ſumebantur, ad oſtenſionem potentiarum naturalium. nec unitates in ipſo, aut magnitudinem habere putabant indiuiſibilem, aut omnino ineſſe ſenſibilibus, ſed cum indiuiduas magnitudines dicant*

cant ad cauſales magnitudinum rationes nos remittunt. & ad exemplarem cauſam magnorum. quam per ſe magnitudinem conſueuit uocare tacite magnus Plato. Cum uero unitates magnitudinem habere, in omnia perambulantem potentiam opificiarum unitatum extollunt. Cum uero magnitudinem ex indiuiſibilibus ſubſiſtere. non quòd coeuntia indiuiſibilia, & ueluti compacta faciant diuiſiones dicunt. Hæc nanque eſt Democriti doctrina, geometricis, & omnibus fere ſcientijs contradicit, ſed quod indiuiſibilium quæcunque ſunt formæ intellectuales, & impollutæ opificiæ, & uiuentium generatoriæ. hæ non exeuntes à ſeipſis, aliáq; & corporeas moles in ultimis ſubſiſtere faciunt. Quæcunque uero naturalia ſunt, & ſerpunt operationibus ſuis in materiam hæc quamuis ſine mole, & incorporea exiſtentia, cum tamen ſint corporeæ conſtitutionis cauſæ modo quodam coexiſtentia ſunt corporibus, & ob hoc inſeparabilia à corporibus poſſunt dici, ex corporibus uero corpus fabricari negauerunt ob multas cauſas. Quare ſi quidem uerum eſt hoc, neceſſe eſt omnino corpora ex indiuiſibilibus habere ſubſiſtentiam. non tamen conſtare ex indiuiſibilibus, nec reſolui in indiuiſibilia niſi apud rationem.

SI IGITVR neceſſe quidem ſi eſt numerus.

DEDVCTIO *quidem ſyllogiſtica eſt, ſed connexum non eſt ſanum. omnes enim numeros ſuppoſuimus ex unitatibus conſtitutos, & quæ unius ſunt propria in omnes tulimus. Deinde hoc pacto niſi ſumus aliquid dicere contra eos, & antiqui quidem, & beati uiri, quæ inordinata ſunt, ordinari per numeros dicunt. contradictio uero quæ eſt contra eos etiam quæ de numeris ſunt diuinas notiones confundit, & perturbat.*

AMPLIVS utrum unaquæque unitas ex magno, & paruo æqualis eſt.

QVOD *dubitat huiuſcemodi eſt, ex uno, & interminata dualitate, & alia generant, & unitates: quoniam ergo in interminata dualitate ſcilicet magni, & parui, hæc ſunt, ſcilicet magnum, & paruum. Si hæ quidem ex magno, illæ autem ex paruo ſunt, non erit unaquæque ab omnibus elementis, nec æquales unitates, ſed cum hoc quòd erunt, differentes habebunt contrarietatem inter ſe. amplius hæ quidem magnæ erunt, illæ uero puræ, & ternarius unde habebit tertiam unitatem à magno, aut à paruo, niſi forte ob hanc, inquit, dubitationem, unum quod eſt in ternario, & omni numero impari medium faciant, ut æquales ſint, & quæ ex magno, & quæ ex paruo fiunt, non ſolum in pari, ſed etiam in impari numero. ſi autem unaquæque unitas ex magno eſt, & paruo (manifeſtum eſt enim, quòd & unita ſunt poſterius æquata) tamen ante unionem erant duæ. deinde quo differet unitas à binario? ſi enim in unitate binarius eſt æquatus, & binarius hoc ipſo dicitur binarius eſſe, quo differunt inter ſe? Huiuſcemodi cum protendat Ariſtoteles interminatam quidem dualitatem ſiue primam, ſiue intellectualem, ſiue animalem, ſiue naturalem, ſiue etiam eam quæ in materia conſideratur, aliquis conſideret, nunquam dicemus diuiſim agere, aut pati per magnum, & paruum, ſed unicuique eorum quæ generantur ab ipſa, & magnum afferre, & paruum, accommodate in ſingulis ordinibus entium. unitates uero ſiquidem eas quæ in mathematico numero ſunt, nunc conſideret, quoniam neque alias uult magnifacere, produci quidem ab omnibus principijs & uno, & interminata dualitate, non tamen diuiſim in ipſis habere magnum, & paruum, nec habuiſſe unquam, ut dubitemus, quo differat unaquæque unitas à per ſedualitate. ſed eſſe ut quidem ad alios numeros & dualitatem ipſam infor-*

informes, & infinitos. Detineri tamen etiam ipſas ſimulachro unius; ſi autem dicit de unitatibus immaterialibus, licet enim non ſolum numeros, ſed unitates etiam formas uocare intellectuales, multo magis dicemus quamcunque eſſe ab omnibus principijs, & habere ex uno quidem ipſam ſingularem formam, & unicam, ex dualitate uero interminata, & impartibile, & in omnia permeans, & fabricationibus, & prouidentijs, & ſeruatoribus potentijs, huiuſcemodi nanque magna, & parua apud diuina ſupponere oportet.

AMPLIVS prior eſt unitas dualitate.

VNITAS *prior eſt per ſedualitate: ſi autem per ſedualitas idea, & antiquior hac unitas eſt idea. ex aliquo ergo profecta eſt. non enim profecto ex interminata dualitate. illa enim etiam ſimplicia duplat. In his itaque non diſtinguit de qua unitate dicat, ſed manifeſte proponit dubitationem de dualitate nota, quæ non eſt in ideali numero, & in ultimis mathematicorum abiecta eſt: nec dualitate monadica, hoc eſt ex dualitatibus conſtante, antiquior, niſi forte generatione, ſed non ſubſtantia. huiuſcemodi enim ſunt materiales cauſæ. producitur autem & hæc, & omne ſubiectum mathematicorum numerorum, ab omnibus quidem principijs, ſed præcipue à propria ſibi dualitate. hæc enim cum diuidantur numeri in materiam quidem & formam, eſt magis materiæ principium: cum uero in parem, & imparem, parem magis exponit. hæc autem faciens, & ad hæc alia multa, & miranda circa numeros, merito duo factiua uocata eſt. eſt enim binarius quodammodo omnis materia, & omnis par, & omnis altera parte longior, & ſiquid huic coordinationi conuenit.*

AMPLIVS, neceſſe eſt aut infinitum numerum eſſe, aut finitum.

INEVITABILIS *eſt diuiſio, & cauſa eſt ualde grauius. in ſenſibilibus enim neutrum determinate eſt dicere, ſed quod quæ quidem ſunt in uno tempore finita ſunt. quæ uero in infinito infinita, ſed in his quæ ſemper eadem, & eodem modo ſe habent, in quibus nihil agit tempus, neceſſe eſt infinitum, aut finitum aſſumere; dicendum eſt igitur quia potentia quidem infinita ſunt diuina, numero autem utuntur quidem finito, ſed quanto minime dixerit particularis anima, niſi quod tactus eſt quantum horum principia permittunt, & nolunt producere aliud in alio genere entium, ſed ſi alicubi quidem ternarium, alicubi uero quaternarium numerum ſuppoſuimus, alicubi uero ſeptenarium, aut denarium, non profecto quemadmodum alia generabilium ſic numerantes, quæ ibi diuina ſunt, tot eſſe enunciauimus, ſed quia omnia perfecta ſunt, & principij ſpeciem habentia, & ingenerabilia, & uniuerſorum apprehenſiua. Conueniens enim eſt alia in alijs proprietas. etſi in omnibus omnia ſunt, & in quibus quidem primo perfectum inſpectum eſt. numerum horum ternarium eſſe dicimus. in quibus uero in principij ſpecie omnia mundana comprehenſa ſunt; quaternarium, in quibus uero ingenerabiliter generabilia prouidentia digna fiunt ſeptenarium, in quibus uero destinate magis & iam intellectualiter omnia praaccepta ſunt, denarium, & hæc quidem eſt (ut pauciſſimis de maximis fas eſt dicere) uniuerſa de ipſis ſpeculatio, Ariſtoteles uero permiſcens unitates notas numeris ibi diuinis, lætatur omnia mouens, & perturbans.*

QVOD igitur infinitum non continet manifeſtum eſt.

CONTRA *mathematicum potius quis iure hæc dubitauerit*

rit numerum, non contra diuinum, & idealem. ibi enim aliter par, & impar, non ut nunc hic accipit, ſed magis ut conſueuerunt poetæ deos dicere deasq́;. Audite me omnes dij deæq́;: ibi nanque opificia unitas duas coordinationes diuinæ, & prouiſoriæ complet intellectionis, ſed contra mathematicum conuenientius erat hæc dubitare. Siue enim finitus ſit numerus, firmabitur eius proceſſus, & hoc pacto omnis numerus par, aut impar infinitus. dicetur autem & ad ſic dubitantem de mathematico numero quæ uera ſunt, quòd omnis qui ſumitur & finitus eſt, & cur par, aut impar, ſed qui nondum ſumptus eſt, & ignotus eſt, & informis, & infinitus, & potentia quidem huiuſcemodi eſt, actu uero nec par, nec impar. Hæc uero intantum dicta ſunt, ſed uideamus quo pacto Ariſtoteles generationem tradit numeri, qua neceſſe eſt omnem parem, aut imparem fieri.

SIC QVIDEM uno in parem incidente impar.

VNVM *incidens in binarium ſecundum ipſum ternarium facit, dualitas uero ad unum ueniens facit binarium, in hunc uero ueniens, & ſimiliter procedens pariter parem. ternario uero, & alijs imparibus ſuperueniens, impariter imparem. in quem rurſus incidens facit impariter parem. Hæc quidem antiquioribus placentia dicit, dubitatq́; recte, ſiquidem non recte narrata ſunt, in nullo conueniunt ideali numero.*

AMPLIVS, omnis idea alicuius numeri uero ideæ.

HAEC *argumentatio eſt magis rei conueniens, dicunt autem ad hanc præxiſtentes infinitati exemplarium, non ſimul omnes ideas ſenſibilem recipere mundum. quidam uero ipſorum, neque infinito tempore, dicunt omnium idealium cauſarum imagines recipere mundum. Talia enim qui circa Amelium Platonicum iuueniliter iactant, ſed uidetur magis Ariſtoteles in his antiquorum ſententiam rectius conſiderare,*

derare. icirco & ſubiunxit, neque ſecundum poſitionem ipſorum contingit, illorum opinionem ſic uocans, forte ut habentem aliquid inopinabile, & hoc tamen amabile eſt. in his quæ ab Ariſtotele exponuntur, quòd ideas non primorum ſenſibilium dixit ipſos dicere, ſed ipſorum quidem eſſe uero & exempla animalium formarum, & naturalium, & ultimarum ſenſibilium: quæ innuit per illud, alterius cuiuſdam. ſit igitur ei demonſtratum, quòd non ſunt infiniti intellectuales numeri ſui propria natura, etſi apud nos ignoti, & incomprehenſibiles ſint. nam etiamſi non ob quas dixit cauſas recuſauerit aliquis infinitum in eis, ſaltem ſufficienter Philolaus hoc demonſtrat. Principio enim inquit, nullum erit cognitum omnibus infinitis exiſtentibus. ſi ergo nouit eum diuinus numerus, omnino quia ei finitus eſt. etſi tantus eſt quantum uoluerũt principia, omnino quia eius menſura præaccepta eſt uoluntate principiorum, non erit igitur infinitus, niſi ut infinitæ potentiæ, aut etiam ut ad nos. ſed uideamus ſi ipſe finitus ſit quod abſurdum ſequatur.

SI AVTEM finitus uſque ad quantum.

VT TV *quidem quæris non eſt dicere. non enim numerabilia ſunt noſtræ naturæ ipſa diuina. cum uero ternarios faciant, & quaternarios, & ſeptenarios, & denarios, non indigent rationibus conuenientibus his conſiderationibus, quemadmodum in paucis ante ſignificauimus.*

AT VERO ſi uſque ad denarium eſt numerus, ut quidam aiunt, uſque ad id, ſed tamen deficiet?

NAM *animalis ideæ excedent diuinorum hominum denarios, idealem numerum dicentium, ut mundanum exemplar, & terminum omnibus impoſitum, & quòd quemadmodum denarius intra ſe omnem numerum habet, non occulte ut unitas, nec ſubſtantialiter, ut quaternarius, ſed iam cum diui-*

diuiſione, & diuerſitate pluri, hoc modo etiam intellectuale opificium præaccepit in ſe ipſo mundi formas. & hanc opinionem ab Orpheo, & Muſæo, et illinc deductis recipientiũ Ariſtoteles ut denario numero ideas ipſorum ſupponentium ſic dirigit opiniones, etſi denario numero ſupponerent. unaquæque autem potentias quidem habet terminatas, ſed nobis ignotas, neque ut animalis ideis, neque omnino eorum, quæ his ſunt ideis pauciores erunt exemplares cauſæ. ſi huic quidem potentiæ ternarij hoc; alteri uero illud ſubſiſtere habere dicamus. ſed hæc quidem dimittantur. oſtendit autem iterum Ariſtoteles ſe eo, qui eſt ex unitatibus cõpoſitus, laudatum ab antiquis denarium aggredi. quemadmodũ & quæ ſequuntur apud ipſum ſecundum eandem incedunt muſam.

SIMVL autem manifeſtum, quòd ſic ternarius per ſe homo.

DICTVM *eſt quòd non idealium tantum quilibet unùs eſt, ſed & mathematicorum, ſi quidem qui actu & cum ſua forma conſideratur, ſumatur: ſed per ſe ternarius nec hominis, nec alterius cuiuſdam exemplar fuerit, ſed eorum qui poſt ipſum ſunt omnium ternariorum. Quare una eſt multorum cauſa, horum quidem ſibi propinquiorum, aliorum uero in ſingulis iacentium.*

ETSI pars minor maioris.

RIDICVLE *etiam hæc & importune deſcripta ſunt, & ſolum locum haberent ſi ex unitatibus facerent idearum numerum, & unumquenque eorum qui ex unitatibus conſtãt quoties dicerent ſubſiſtere non in ſe ipſo ſolum, ſed in omnibus ſe ipſo maioribus cõſideratum.*

ABSVRDVM quoque & denarii eſſe ideam.

NON *abſurdum eſt, ſi animaduerſum fuerit ideas ſimpli-*

cium eſſe naturarum, & non ex elementis cognatis compoſitarum. Vnde & omnem numerum idealem denarium appellarunt ob prædictas cauſas: nihilominus & cuiuſque ex unitatibus numerorum, qui ſunt uſque ad denarium ideam ponebant. hi enim ſimpliciſſimi ſunt, & ſpecificam inter ſe differentiam habentes. Vndenarius uero eſt compoſitio duorum præexiſtentium numerorum.

AMPLIVS, & ſunt & fiunt quædam etiam, quorum non ſunt ideæ.

QVOD *& qui fortunæ & caſui uniuerſum committunt, argumentari poterant: quoniam enim quædam caſu fiunt etiam tui ſententia, quam triſtitiam affert omnia fortuito fieri; ſed, puto, dixeris utique ad eos, quòd hæc quidem ſunt de contingentibus in minori. Quæ uero ut plurimum, aut ſemper ſic perficiuntur, hæc naturæ ſunt opera, & intellectus ad aliquem finem reſpicientium. Talia igitur & audire & ab eis primum opinabatur: ſed quæ nam dicis abſque ideis fieri. naturalium enim & primorum ideæ ſunt in intellectu ſubſtantiales. & ultimorum non ſubſtantialium nullum, eo quòd non ſecundum rationes perficiantur naturales. Artificialia porrò per ideas in arte exiſtentes etiam ipſe concedis fabricari, ut multis quidem in locis, ſed lucidiſſime in ſexto huius negocij conceſſum eſt, niſi forte agibilia dicas, & fortuita, & caſualia. horum uero quædam hoc pacto non ſunt, ut conſueuit à nobis frequentius dici. neque enim abſque cauſa ſubſiſtunt. Agibilia uero etſi non ſemper ſecundum eadem præexiſtentes habeant ideas, actionibus tamen præexiſtentes habent. præexcitans enim in imaginatione, aut opinione uniuerſam diſpoſitionem noſtrarum actionum uoluntas principium eſt.*

AM-

AMPLIVS abſurdum eſt, ſi numerus, qui uſque ad denarium magis eſt aliquid ens & forma ipſo denario.

EST *defectus in ſermone. nam perfectio erat, Amplius abſurdum eſt, ſi numerus non ſit uſque ad undenarium. Quia & unum nagis eſt ipſo denario ens, & forma eius, & reliqua. forma igitur denarij apud eos dictum eſt ipſum unum non quodcunque: ſed unitas quæ principij rationem habet, quam definientes etiam formam formarum eſſe dicebant. Attamen etſi omnium forma ſit materialium formarum, maxime tamen denarij dicta fuerit. imitatur enim ipſam denarius. Quod eſt unitas ad omnes ſimpliciter numeros, hoc & ipſe poſterioribus denarijs, & centenarijs, & millenariis facta, unde & ſecunda uia procedens unitas nominabatur. ut igitur intellectus forma quidem eſt omnium maxime uero animæ: eodem modo & unitas etſi omnium, maxime tamen denarij. huic i aque unitati, & ingenerabile utique maxime fuerit conueniens, non ei, quæ eſt undenarij, ſed nouit etiam ipſe qua cauſa uſque ad denarium producebant numerum. ultima enim perfectio omnia in ſe ipſa continens erat ipſe. Vacui uero exemplum in numeris exactiores ſermonum non derelinquunt, quoniam neque in entibus eſt uacuum, ut in quinto libro collectionis Pythagoricorum dogmatum oſtendit Iamblichus. ſpatia uero numerorum, & maxime meatus, qui & ipſi complentur omnino à numeris, memoriam dicunt ferre ſpatij, ſeu regionis uniuerſorum ut pote, quæ propria ratione eſſet uacua. completa uero ab intellectuali fabricatione, & circulari motu ætheris, qui omnia complectens, & cogens ad ipſas uacuam nullam permittit regionem in uniuerſo. comparientem uero ad ſe ipſum per totum, & mutuo fuſum ipſum mundum oſtendit, ſicuti nec unitas numeris ſubſtentiam præbens regionem uacuam relinquere non permiſſa*

eſt, complens ſuccedentibus numeris abſque intermiſſione omnia numeralia receptacula. ſed quod omnis proportio atque collatio intra denarium conſideretur, conſtat: etenim arithmetica in progreſſu naturali numeri, & geometrica in numeris 1. 2. 4. 1. 3. 9. *& muſica in numeris illis* 2. 3. 6. 3. 4. 6. *omnia igitur, inquit, principijs aſſignarunt, hoc eſt unitati & binario, quietem quidem & bonum unitati, motum uero & malum binario. poſſent quoque principia dicere duas coordinationes in numeris uſque ad denarium, & rectiſſime, eo quòd etiam in entibus quædam ex principijs ſolis pendent, & uno ex duobus, quæ ſunt poſt ipſum. quædam uero etiam formalem cauſam præaſſumpſerunt. ſed quam ob cauſam amplior ſermo eſt. hic uero opponit eis in fine rationem ualde ſolubilem. ſi enim natura per ipſum utrum ternarius eſt, cur non per ternarium etiam quinarius, & omnis impar quemadmodum par omnis per binarium? ſed dicemus, quòd primus & incompoſitus numerus unitate uidetur ſola ſpecificari: ſecundus & compoſitus etiam aliam ab unitate menſuram habet. iccirco omnium imparium unitas forma eſt, ut dualitas parium. omnino enim opus eſt ternarium binario, non in eo quod eſt, rationem habere principij, ſed potius unitatem. per hoc itaque illius uerba conſtitit etiam eius ſententia, eſſe quandam aliam cauſam, qua uſque ad denarium exempla numerorum producunt. ſi enim cauſas omnium conſiderare in ipſis uolunt, omnium uero uidetur cauſas in his, qui ſunt uſque ad denarium, ſuperfluum fuerit ſuccedentium exempla ſupponere, & quòd undenarius una cum denario unitatem non habere recte dicatur, quæ eſt cauſa denarij: ſed unum quod eſt ueluti pars denarij, & binarij, & cuiuſque aliorum numerorum.*

AMPLIVS

AMPLIVS magnitudines & quæcunque talia &c.

EX MAGNITVDINIBVS *etiam oſtendebant, inquit, quod uſque ad denarium opus eſt producere numerum. Dicebant enim quòd unitas facit punctum, quod hic indiuiduam uocant lineam: lineam binaris: qua ternarius ſuperficiem. & his ſufficit ſibi denarius. ponatur igitur & hæc cauſa. etſi ſit leuior & more mathematico ſolum examinata, etſi minimum habeat ordinem, conſueuit tamen à pluribus dici. Quatuor ergo ſunt principia uniuerſi opificij, ut in alijs oſtenditur. deducitur autem id quod eſt denarij ex quaternitate ubique.*

AMPLIVS, ſi eſt ſeparabilis numerus. Dubitauerit utique quis utrum prius.

RECTE *& dubitauit, & ſoluit, ex his, quæ ab illis dici ſolita ſunt, num hæc quidem unitas eſt quæ principij rationem habet, & reſpondet diuino, quam & omnium formarum omniumq; figurarum cuſpidem dicebant, qui ex Pythagoræ doctrinario, in omnibus priorem numerum. altera uero eſt, quæ ſubiectum complet numerorum. quam & definiebant quanti minimum generatione quidem primam, ſubſtantia uero minime. Hic uero etſi horum gnarus, & ſic ipſis commode utens, non iubet ea transferre etiam ad numeros: ſed æquiuocatione dualitatis abutens conatur facere cõſiderationem, quæ optime ſuis partibus compleatur. Audi enim qualia his adinngit.*

QVO pacto igitur principium unum? quia indiuiſibile dicit.

SICVT *igitur tu hæc diuidis, & formã quidem, aut uniuerſale, ratione dicis eſſe indiuiſibile, elementum uero tempore, quia tempus generationis ab ipſo incipit: ſic puta etiam illos*

illos proponere. quod unum interrogas principij rationem habens, aut quod eſt in partibus minimum. omnino uero cum ſit differentia apud eos unius, & unitatis, de qua & antiquiorum Pythagoricorum multi diſſeruerunt, ut Architas, qui dicit, quòd unum & unitas cognata exiſtentia diſferunt abinuicem, & iuniorum Oderatus & Nicomachus. Cur tranſilimus ab unitate ad unum, niſi forte non moleſtius ferat illorum uoluntas.

NAM ut dictum eſt & rectitudo ac.

SIC *igitur & unitas, quæ ſubſtantiam complet numerorum, ut ſimilis acuto ſumpta, & prior dicitur, & poſterior numerus, ſubſtantia quidem poſterior, generatione antiquior.*

VTROQVE igitur modo faciunt ipſum unum principium.

SED NON *eodem modo ò mirabunde. ſed quod quidem principij rationem habet, omnibus modis, ut cauſam uniuerſorum. quod autem eſt partium minimum, ut acutum recti.*

SED eſt impoſsibile.

IDEM *ò mirabunde. idcirco & ſequentia admittimus quidem, ſed non dicimus contra uiros eſſe.*

NAM hoc quidem ut pars, & ſubſtantia.

ADDE *ut ſubiecta numeris.*

EST enim quodam modo unum utrunque.

ILLVD *quidem, ſed alius ex alijs, ut de unitatibus dicit binarij. dicit autem quòd ſeorſum auulſa harum utraque potentia eſt, & non actu, & ſecundum ueritatem, & ſecundum*

dum antiquorum opinionem. ſi enim non eſt aceruus unitatum ipſe numerus, ſed unuſquiſque ex ſubiectis quidem eſt tot unitatibus. per formam uero ſuam conſiſtit, nihil erit in binario unitas actu, priuſquam propria forma allata fuerit. His igitur opus eſt animaduertere, quòd neque conſiſtentiam unitatum uult numerum eſſe, neque omnino eſſe aliquid unitates actu, priuſquam à formis exornatæ fuerint. nam etſi alterius gratia ipſa aſſumpſit, quòd id quod eſt potentia non generatione ſolum, & tempore ipſo toto, & ſpecificato prius ponunt, ſed & ratione, & ſubſtantia, & ad quod etiam dicentes occurrimus, aliam apud eos eſſe principij rationem habentem unitatem dicentes & aliam materialem, ſufficiens tum habet & ad ueritatem, & ad antiquorum concordiam.

CAVSA uero accidentis peccati.

QVOD *quidem impoſſibile ſit, eidem ſimul hæc ineſſe recte dicis. ergo neque illi eandem unitatem omnium numerorum eſſe principium dicebant, & partem cuiuſque minimam. ſed dictum eſt, quòd unam quidem principalem, alteram materialem eſſe putabant. non ergo ex impartibilibus & indiuiduis res componebant, ut Democritici, nec mathematicis uerſati parum de unitate cognoſcebant. de dialecticis uero multum, ſed ut dictum eſt, de altera quidem illa, de altera uero hæc unitate dicebant. ſed caue tu mirabunde ne his incidas animal, & omnino quodcunque genus, nunc partem dicens ſpeciei & indiuidui, nunc prius natura & contentiuũ magis. etſi enim diuiditur ſæpe, & hoc quidem generale uocatur. Illud ergo genus, quouſque non dederitis generi ſubſiſtentiam, non poſſunt non confundi mutuo. ſi autem unũ ipſum ſolum poſitione carere. nullo enim differt alio, quàm, quòd eſt principium, & dualitas quidem diuiſibilis eſt, unitas uero non. ſimilis utique magis fuerit unitas ipſi uni. ſi uero*

uero unitas illi, & illud unitati quam binario. Quare prior utique ſit utraque unitas binario. ſed non dicunt, generant quippe binarium, quia uni dicunt (idem autem eſt dicere) principanti unitati. ſimilis magis eſt quàm in binario unitas quàm ipſe binarius. nam hic quidem diuiſibilis eſt, illa indiuidua. quod uero eſt principio ſimilius, prius eſt. prior ergo eſt quæ eſt in dualitate, quàm ipſa dualitas. ſed illi non dicunt, & recte quidem ò mirabunde. nam hoc pacto poſſet quis etiam uniuerſo mundo materiam priorem oſtendere, quia ſimplex eſt & informis, inſunt autem hæc uni omnium principio: ſed puto ultimorum ad principia oppoſito modo aſſumptam æquiuocationem, & peruulgatam diſſimilem ſimilitudinem conſideratam, non oportet præludium facere ad tranſpoſitionem ordinis rerum.

AMPLIVS, ſi eſt binarius unum aliquid.

CONSTAT *quòd ex duabus ideis. eſt enim apud nos per numerum ex unitatibus conſtitutum ſubſiſtens. ſi autem quia quæcunque idearum, & ſingulis aliorum, & omnibus ſimul coniungitur, in ipſa natura entium uelit quis eſſe coniunctionem perſebinarij, ad ternarium exemplar, & quærat quo pacto ſimul utraque duo ſignaculo dicemus perſebinarij occupata. cuilibet nanque uni ſi coniuncto communicat binarius proprietatem ſuam, quemadmodum iterum & ternarius ſuam, ſingulis tribus mutuo coniungi uolentibus, nō ſic tamen participant prima entium, ideali menſura numerorum ut mundanæ res, ſed ut dicimus ipſa ſibi mutuo uniri diuina, etiam participant ſe ipſis mutuo, eo quòd omnia in omnibus ſint. ſic ergo ab antiquioribus putandum eſt dici, ipſe quoque reſpondens ad ſimilem interrogationem, ſi mouens ſphæram inerrantem cum ſit ſeparabilis cauſa una, & mouens Saturniam ſphæram una eſt, ambæ ſunt binarius.*

narius. ex quo igitur eſt hic binarius, puto diceres ex duobus intellectibus. nos enim eos externis numeramus, non ut numeris, ſed ut numeralibus ceteris adeuntes. ſic ergo ſi etiam ipſe numerus duas, aut tres idearum numerabiles quidem ipſas facis, dicesq́; conſtare ex ideis unaquæque idearum at unitate utens.

DVBITAVERIT quoque quis quoniam tactus quidem non eſt in numeris.

QVAE *quidem in his dubitat huiuſcemodi ſunt, utrum ad unum primum prima binarij unitas ſit conſequenter ordinanda, aut non, ſiue enim ordinauerimus, ante binarium binarius erit, ſiue non, quæ ſit huius cauſa, & omnino unùm binarium ipſum dicemus ſuccedere ipſi uni, aut unitatem in binario. ueluti magis ſimilem uni exiſtentem, ſed dicendum quòd contra idealem numerum, nec dubitare opus eſt, quæ ſunt de huiuſcemodi unitatibus, ut ſæpe annotauimus. ſi autem contra mathematicum dicantur, dicemus unitates per ſe, quæ in ſingulis numerorum ſunt nulli conuenientes eſſe, cum neque actu per ſe ſint, ſed cum forma proprij numeri fuerint occupatæ, tunc ſe ipſas mutuo conſequuntur. quæ uero in alio numero ſunt eis minime dicantur ſuccedere, ſed potius qui per expoſitionem naturalem exponuntur numeri ſibi ipſis dicantur ſuccedere.*

SIMILITER autem & de poſterioribus generibus numeri accidunt difficilia.

IN HIS *quoque infinita apparent impoſſibiliaq́;, & fictitia, & contraria, omnibus recte ratione utentibus. uolentes, inquit, magnitudines à duobus principijs deducere, uno ſcilicet & interminata dualitate, ex dualitate quidem dicunt lineam ipſam longum, & breue accipere, ſuperficiem anguſtum, & latum, ſolidumq́;, altum, & depreſ-*

A a ſum.

ſum. has enim uocabant ſpecies magni, & parui, quod eſt in interminata dualitate; principium uero quod eſt per ipſum unum, non ſimiliter, inquit, omnes inducebant, ſed hi quidem numeros ipſos ſpecies dicebat magnitudinibus afferre, ut binarium quidem lineæ, ternarium ſuperficiei, quaternarium autem ſolido. huiuſcemodi enim refert in his quæ de philoſophia Platonis. Alij uero participatione unius ſpeciem perficiebant, magnitudinum. ſed hæc nec prorſus falſe de ipſis dicit, neque diſtincte tradita ſunt. Attamen uideamus quæ dicit impoſſibilia ſequi.

ABSOLVTA enim ab inuicem accidit niſi ſimul abſoluantur principia.

SIVE, *inquit, non unà coexiſiſtunt principia magnitudinum, abſolutæ abinuicem dimenſiones erunt. Quæ enim ex differentibus principijs ſubſiſtunt, non coguntur ſimul eſſe. quare erit ſuperficies abſque linea ſiue coexiſtunt. idem erit linea cum ſuperficie, & ſuperficies cum ſolido, ſed quòd hæc ſcribens ipſe, ſeipſum perſenſerit, admodum mihi perſuadeo. ueruntamen non ſuſpicetur ab illis dici, non eſſe neceſſarium aut hæc eſſe, aut à ſe mutuo ſeparata eſſe. ſed eſt aliquid magnum, una quidem eſſe per identitatem: per diuerſitatem uero à ſe mutuo diſtincta eſſe. omnino uero principia quidem ſimul exiſtentia dico diuerſitate differre, quemadmodum, & naturæ rationes ſimul exiſtentes, & omnes in impartibili diſcreuit diuerſitas. Quæ uero in principijs ſimplicia ſunt, etiam abſque compoſitis conſpiciuntur. procedentia uero ad interius, & compoſitius, indigent omnino ſimplicioribus. propter hoc linea quidem abſque ſuperficie, & hæc abſque ſolido conſideratur, in perfecta uero magnitudine omnia opus eſt aſſumi.*

Amplius anguli, & figuræ, & huiuſcemodi quo pacto aſſignabuntur.

Qvo pacto *amplius hæc, inquit, ex uulgatiſſimis principijs poſſunt facere. quid enim in his eſt, quod exuberat, & quod deficit. quod igitur eſt de angulis, & promptum eſt, quod enim rectus ſecundum unitatem potius, acutus uero, & obtuſus ſecundum interminatam dualitatem, in qua exuberantia, & defectus manifeſtiſſimi ſunt. figurarum quoque quæ quidem æqualitate, & identitate detinentur, & ſimilitudine ad unitatem magis reſpiciunt, quæ uero inæqualitate, & diuerſitate, & diſſimilitudine ad dualitatem magis, ſed non dico quòd etiam quæcunque non & duobus principijs ſit. nam & ſphæra, & circulus, & æquilaterum triangulum, & quadrangulum, & cubi participant dualitate per ſuam quantitatem, & ueluti dimenſum, & rurſus trabes, & areolæ, & gradaria, & triangula, & altera parte longiores figuræ, unitati conueniunt, formam ex ipſa recipientia, ſed tamen quod in numeris conſueuimus dicere, unuſquiſque quidem ex duobus eſt, nihilominus impar quod unitatis proprietate potius detinetur: par uero proprietate dualitatis. eodem quoque modo in angulis, & figuris dicimus, omnes quidem ex duobus principijs, alias tamen alijs magis huic, aut illi aſſimilari.*

Idemqve aliquid accidit his qui circa numerum.

Qvod *quidem ut impar, & par numerorum per ſe paſſiones ſunt, ſic & longitudinis circulare, & rectum. latitudinis autem anguſtum, & latum, profundi altum, depreſſum oportet concedere. ſed quia hæc non ſine cauſa in ipſis ſunt, clarum quod à principio eis accommodato proficiſcuntur. etſi quidem cum rectitudine, & ſtatu ipſis communicant potius ab unitate in ipſa procedunt, ut rectus in angulis.*

gulis . ſi uero cum exubernantia , & defectu conſpiciuntur , cum eo quod eſt magis , & minus cohabitant , & à dualitate ipſa recipiunt . neque igitur illi quæ in magnitudinibus ſunt paſſiones magnitudinum principia dicebant, ſed illa ex quibus hæc magnitudinibus adueniunt . quorum unum eſſe fontem , propriam ipſorum interminatam dualitatem .

OMNIVM uero commune horum quod in ſpeciebus quæ ut genus accidit dubitare .

QVOD *quidem ſi uniuerſalia ſeparabilia ſunt , etiam numerum concedit , ſed negat ab his & ab illis ſeparabile . Impoſſibilia plura dicens ſequi ſeparantibus . ipſa uero à ſenſibilibus . nos uero putamus etiam eſſe ea quæ à ſenſibilibus inſeparabilia ſunt. etenim in me coniunctam eſſe hominum rationem & in ſe , & in quouis eiuſdem ſpeciei . Amplius autem animal in leone & equo , & homine & cane : quinariumq; in quinque digitis , & binarium in naribus , uerbi gratia , & oculis , & manibus , & pedibus ; ſed quia hæc non abſque cauſa ſunt , ſed per quaſdam determinatas naturas perficiuntur . ſemper enim ſic quæ orbata non ſunt , neceſſe eſt omino eſſe aliquod & in tota natura animal ſeparabile à ſenſibilibus, per quod hoc quod ſenſibile eſt generatur, & adhuc in natura quinarium per quem manus ſemper tot extremis exornatur , & binarium per quem oculi duo , & nares . ſi autem neque natura à ſe habet hæc , ſed ueniunt in ipſam ex altera cauſa,ut & ab ipſa in materiam. neceſſe eſt etiam ante naturam eſſe uniuerſalia , & numeros , ſed non eo modo quo in natura . nam nec natura eo modo habebat quo tradebat materiæ , ſed indiuiduæ & actiuæ . anima uero ſimplicius adhuc , & immaterialius , & quod eſt anima ſuperius per exceſſum ſubſtantiæ etiam idearum habet coniunctionem . illud tamen eſt obſeruandum , ut recte dictum*

apud

apud ipſum. quòd ſimul ſeparabilia ſunt uniuerſalia, & numeri, aut ſimul inſeparabilia, ex quibus alia etiam multa concluſeris. utrum enim uis, ipſorum probaueris, alterum quoque concluſeris. necnon & illud, quòd ſi ſunt ideæ, numeri ſunt ideæ. eſt enim eius ratio, quòd ſi ſunt uniuerſalia ſunt ideæ, & recipimus connexum. non quia ideæ uniuerſalia ſunt. nam quo pacto? Cum hæc quidem in anima ſint, illæ uero in intellectu; ſed quia cum ſint formæ impuræ, ſunt & aliæ his indiuiduæ magis, & principaliores. ſi igitur numeri ſunt ſeparabiles, ſunt uniuerſalia. ſi autem ſunt uniuerſalia, ſunt ideæ. ſi numeri ſunt ſeparabiles ſunt & ideæ. ut igitur qui recipit ſpecies eſſe ſeparabiles, non prius ceſſat ab aſcenſu, quàm ad ſimpliciſſimas uenerit, non amplius ab aliјs ſecundas, ſed à ſeipſis primas, ſic qui ſeparabilem ſupponit numerum non ceſſat ab aſcenſu priuſquam ad ideas ueniens uideat unionem ipſarum ad numeros. nam monadici hoc eſt ex unitatibus conſtituti ſeparatam habent à forma quantitatem. diuini uero totam ſui formam habent.

CVM enim intelligat quis in dualitate unum.

AB EA *quidem unitate quæ principij rationem habet, alterum. ab alia uero quæ materialis eſt non alterum. indifferentes enim ſunt inter ſe materiales unitates.*

HIC IGITVR magnitudinem generant ex tali materia.

EX OPTATA, *inquit, dualitate ut longi breuis, anguſti lati, quam nos ex dualitate principij rationem habente duximus ad magnitudines.*

ALII uero ex puncto, punctum autem eis uidetur eſſe non unum.

Alii *uero, inquit, non numeralia principia etiam magnitudinum principia eſſe dicebant, ſed proportionaliter numeralibus geometrica conſtituerunt, punctum pro uno accipientes. quod quidem non eſt id quod unum, ſed uni proportionale conſtitutum, & aliud quid quod quidem non eſt dualitas, ſed ab ipſis aſſumitur huic principio reſpondens. quod ut multitudinem uocabant. quod igitur, & hi eadem prioribus dicebant, etſi non eiſdem nominibus uterentur ad declarationem cuilibet conſtat, ſed uideamus quæ etiam hic dicit ſequi abſurda.*

Si enim una eſt materia, idem erunt linea ſuperficies & ſolidum.

Primvm *quidem alterum principiorum non eſt ut materia magnitudinum, ſed ut materiam ſubſiſtere faciens. ſi quod reſpondet interminatæ dualitati. poſtea quid cogit una exiſtere materia, eadem manifeſte conſlari. fiet nanque differentia ex cauſa formante, ut in mundanis elementis. nam ignis & aer, aqua & terra eadem quidem utuntur materia. eadem uero aperte ſibi mutuo non ſunt, ſed & ſyllaba, dictio, & oratio eiſdem ſubiectis utuntur. elementa enim uocis ſunt omnium horum materia. attamen hæc quidem ipſorum ſimpliciora ſunt, illa compoſitiora, & compoſitiorum nullum abſque ſimplicioribus eſſe poteſt. ſicut nec corpus abſque ſuperficie, & linea, ſimpliciora uero etiam per ſe conſiderantur. quemadmonum & linea. ſi autem diuerſæ quidem ſint materiæ, ſequanturq; ad compoſitiorum materias, ſimpliciorum materiæ. quæ uero compoſitiorum ſunt non ſurentur ſimpliciores, non uideo cur aut iidem erunt effectus, aut omnino ſeiuncti à ſeipſis. diuiſiones igitur eius accipimus, ſed quæ ſequuntur abſurda diuiſionibus nullam habere neceſſitatem dicemus.*

AMPLIVS quo pacto contigit eſſe ex uno, & multitudine numerum.

ET QVI *multitudinem faciunt principiorum alterum, & qui dualitatem, eadem intelligentes diuerſis etiam, nominibus uſi ſunt. nam nec multitudo huiuſcemodi eſt, cuiuſcemodi eſt quod generatur, nec dualitatem, quæ multitudo quædam eſt, uolunt eandem eſſe, ſed quantitatis generatiuam, ſpecificatam ab unitate. hic uero cum de rebus poſitione tactuq; carentibus, & immaterialibus ſermo ſit, interrogat hoc, miſtione ne, aut poſitione, aut temperie, aut generatione, continuitatem numerorum reponamus, cum hi eſſent modi ruditer, & inartificioſe ad corpora reſpicientium hominum, & neque corporum propinquiores dicemus eſſe has quæſtiones. Manifeſtum enim quòd ſinguli ſingulis ſuis formis ſunt, & per ſuas formas aſſimilantur principio monadico numerorum.*

MAXIME uero quis quæſierit ſi una eſt.

RECTE *quidem quærit, unde unaquæque materialium unitatum. recte etiam negat materialem idem eſſe, quòd eſt ea quæ principij rationem habet, quam & per ſe unum uocauit. Hoc enim etiam nos atteſtati fuimus. minime tamen neceſſe eſt reliqua ſequi. nam nec ex parte binarij dicimus ipſam ſubſiſtere. omne nanque principium eſt multitudine indiuidua, nec ex dualitate ſubſiſteret, iam eſſet multitudo. nam nec dualitas eſt multitudo, nec ſibi ſimilia generat. dicendum ergo eſt ad primam interrogationem, quòd hæc unitas ſubſiſtit quidem ex cauſa numerorum generante ſubiectum. habuit quoque aliquid unitatis principij rationem habentis, ut etiam ipſe nunc concedit, & ex principijs ſubſiſtit, & non diuiditur dualitas, nec erit numerus in ipſa ante numeros, ſed cauſa materiæ numerorum. eadem quoque poſſet quis & de materia dubitare genemerabilium, & ſoluere*

uere dubitationes huiuſcemodi reſponſionibus. ſi enim querat utrum ex multitudine, aut ex uno ſubſtitit. dicemus progreſſam quidem eſſe ipſam ex eadem cauſa duofactiua, & infinitæ potentiæ. ſed recipere ipſam etiam præſtantioris principij ſimulachrum, quatenus, & unum quodammodo eſſe dicitur. alterum quidem habens unum & informe & inſubſtantiale ab his quæ ſunt in uno principij rationem habente, & potius oppoſito modo. ſimulachra igitur illius ultima recipere quatenus & diſſimiliter ei ſimile fit.

AMPLIVS, & quærendum eſt à ſic dicentibus.

NON *inquirit nunc de numeris, finiti ne ſint, an non: hoc nanque proponebat prius: ſed de multitudine quæ eſt in dualitate, cuius etiam partitione generari unitates ſupponebat, ſed quid ſibi uelit factum eſt ex concluſione manifeſtum. quæ igitur multitudo elementum eſt & unum. dicendum ergo eſt, quod nullo modo eſt in dualitate multitudo diſcreta, & ſic uocetur plerunque multitudo ut cauſam habens, & continens in ſe generatiuam multitudinis.*

SIMILITER autem & de puncto quis quæſierit & elemento.

QVAERERE *quidem unde multa puncta ſubſiſtentiam habeant & magnitudines, philoſophi eſt: ſed huiuſcemodi reſponſiones ſibi ipſi dare, eſt in dubitationē ex toto detrudere ſtudentis ſuppoſitiones uirorum. multa igitur puncta unitatibus materialibus reſpondent. quare habent quidem cauſam materiæ factiuam, ſimulachrum uero & hæc principij ſpecifici, & formalis ſuſcipiunt. magnitudines uero diuiſiones quidem habent ex altero principiorum materiæ factiuo, rationes uero ex monadico, ſeu ſingulari. neque igitur interuallum oportet uocari interualli generatiuum principium, nec partem interualli intelligere, à quibus ſunt puncta, non ſolum quia partes dimenſionis non ſunt impartibiles.*

tibiles, ſed quia nec diſtantia eſt alterum principiorum, nec in dualitate, quæ multitudinem ſubſiſtere facit, unitates, quæ ſunt in ea, cauſas dicimus exterius ingredientium unitatum. hæc nanque omnia mordaciter ab eo ſubintellecta ſunt, laniare Pythagoricorum principia proponente.

OMNIA itaque hæc & alia huiuſcemodi manifeſtum faciunt quod impoſſibile eſt.

QVOD *quidem nullum horum ad illorum redargutionem fide dignum uiſum ſit, mediocriter puto demonſtratum eſſe. Manifeſtum quoque eſt, quòd neque huiuſcemodi, ſi quis infinities infinita accumulet concutere poterit. uerum ipſum ex prudentiorum intellectu.*

ADHVC autem diſſonare modos de numeris.

NI FORTE *non ipſi diſſentiunt, ſed poſteriores quædam ignorarunt quo pacto dicta ſint, quædam neglexerunt. agunt uero æquiuocationes ad utraque.*

QVIDAM enim mathematici ſolum facientes.

DICTVM *eſt quòd etiam hi idealem numerum colebant, ſiquidem omnino conuenire ſtudebant ipſis Pythagoricis, mathematicis nominibus etiam in ipſo utentes occaſionem præbebant, uolentibus dicere, quòd à primo, & meliore ſemoti circa ſecundum, & deteriorem omne ſtudium apppoſuerunt.*

QVIDAM autem ideas uolentes ſimul & numeros facere.

HAEC *quidem contra quoſdam Platonicorum proiecit. dictum eſt in prioribus quòd uiri etſi nominibus uterentur eiſdem in diuerſus dictionibus, uenerabantur tamen ipſarum*

diſtinctionem. qui autem primus poſuit ſpecies eſſe & numeros, ſpecies, & mathematica, ut rationes ſeparauit.

QVARE omnes accidit in aliquo quidem recte dicere.

LAVDAT *Platonem diſcernentem ab ideis mathemata. omnino autem dicit omnes recte in aliquo dicere, ſed ſecundum totum errare. nam & primi non addentes idealem numerum placent ei, mediiq; qui unum ſolum eſſe dixerunt, etſi maxime curent duos dicere, & qui diſtinxerunt idealem à mathematico. omnes uero putat à uero aberrare, quia omnino ſeparabiles numeros ſuppoſuerunt. Dicendum ergo eſt, nec recte narrata eſſe, quæ ſunt ex ſententia illorum, nec laudata, nec multo minus labefactata.*

CAVSAE autem, quia ſuppoſitiones falſæ, & principia.

MANIFESTE *prius in obiurgationem reſpicit, quàm de Epicharmo memoriam faciat.*

NVPER enim dictum eſt, & confeſtim uidetur non recte habens.

OMNE *igitur contrarium profunde, nanque & cum multa diſcuſſione quæ illorum ſunt dicta ſunt & uix in minimis in multo tempore quod eſt apud illos uerum emergit.*

SED DE numeris quidem ſufficientia ſunt dubitata.

VALDE *recte coniectauit philoſophus noſter, quòd etſi millies componantur tot iocularia, contra eos, qui capti ſunt, admiratione antiquæ philoſophiæ nihil perficiunt. omnes nanque argumentationes fecit ut contra Monadicos, hoc eſt*

ex unitatibus conſtitutos numeros. diuinorum autem nullus eſt talis, ſed ſolum forte mathematicus: quia quod etiam ipſe fateatur nihil dixiſſe contra illorum ſuppoſitiones, nec omnino inſequi ideales numeros, ſi ſint à mathematicis diuerſi, teſtatur, quæ in ſecundo de philoſophia hoc modo ſe habent. quare ſi alius numerus ſunt ideæ, ſed non mathematicus, nullam de ipſo compoſitionem habeamus, ſi quis ex plurimis noſtrum alium numerum cognoſcit. quare & unum contra multos alium numerum non cognoſcentes, quam ex unitatibus conſtitutum, fecit redargutiones. diuinorum autem uirorum ſenſus nec omnino attigit. Ad hæc uſque quidam in μ producunt. ſuccedentia uero cum tertiam quæſtionem ſpectent, libro ν diſtribuunt. quæret enim deinceps ſi ſunt principia ideæ, & numeri. Multi tamen libri ſecundum Alexandri diuiſionem in ſequentibus habent diuiſionem locorum, ſed nihil differunt nobis ad propoſitum ſiue hoc, ſiue illorum libri diuidantur, dum nihil eorum, quæ dicuntur, inexaminatum dimittamus.

DE PRIMIS autem cauſis & princ ipiis.

NAM DE *naturalibus quidem principijs in naturali auditu quæ ei uidentur dicit, & de generatione, & corruptione contra multos antiquorum inuehitur. De moralibus uero principijs, aut logicis nec præſentis eſt propoſiti dicere, ſed dixit etiam de his in moralibus, & in demonſtratiuis, & in tertio huius negocij.*

QVAECVNQVE uero dicentes eſſe præter ſenſibiles alias ſubſtantias.

DICTVM *eſt ſæpe quòd ubique quidem principia ſunt, unum, & poſt ipſum unitas, & interminata dualitas, proprie uero in ſingulis entium ordinibus hæ conſiderantur, ſed*

aduertendum eſt, his quæ dicit & conſiderandum ſiquid horum ſuppoſitionum euerſiuum dicitur.

QVI IGITVR numeros ſolum faciunt & hos mathematicos.

IVRE *ſic tibi uidentur dicere, quando ſolas ſubſtantias indiuiduas ponis. hi uero potius per exceſſum uix intelligibilem ſubſtantiarum ſubſtantias eſſe ponunt ipſas ideas, magis autem comprehenſiuas ipſis uniuerſalibus, ſingulariterq́; præaccepiſſe & uniuerſalium, & indiuiduorum cauſas, nec uniuerſales exiſtentes ut animæ rationes, nec indiuiduæ, ſed unum numero, ut quæ ſunt in materia ultimarum imaginum ſimulachra.*

CAVSAE uero quòd coniungerent hæc in idem dicentibus ideas.

ET NOS *quidem diximus in prioribus, quòd neque Heraclitum ſequentes uenerunt ad formas, nec Socrates recte laudatur quia non ſecreuerit uniuerſalia à ſingularibus, nec inſeparabilia ſola putabat uniuerſalia eſſe, ſed huiuſcemodi quidem qualia ſunt & infinita, nihilominus & ſeparabilia, ut declarat ſermo de reminiſcentia ipſi Socrati promptiſſimus exiſtens, ὅν οὖ φησὶ conſueuiſti frequenter dicere, & iure maiori laudandus erat ob aſpernationem ſenſibilium, & conuerſionem formarum intuitiuam diuinorum, ſed quia manifeſte fatetur non eſſe accidere ſcientiam abſque uniuerſalibus, quibus uniuerſalibus quæremus ab ipſo diſcere, numquid inſeparabilibus, ſed hæc quidem ſenſibilium partes ſunt, & ut ad ipſa materiæ rationem retinent, & nec priora eis ſunt, nec poſteriora. demonſtrationesq́; & ſcientias ex cauſis & prioribus, & proprijs acquiri ſæpe affirmauimus, & hoc ipſum quoque ab ipſo accipientes habemus non ſolum in alijs negotijs, in quibus principaliter de his ſermones*

facit,

facit, ſed & in paulo ante dictis, quod in pretium uniuerſale aliud quid eſt ab eo quod ut pars ineſt indiuiduo, & in idem ipſi concurrere nunquam poſſet. ſi ergo demonſtrationes omnes ſunt ex uniuerſalibus prædicatis, minime fuerint ex his quæ inſunt rebus. præterea ſi per uniuerſalia inſeparabilia ſunt demoſtrationes, primum quidem de omni homine animal non dicetur. quod enim eſt in homine animal? non profecto & rationale, & riſibile, aut mortale continet. uniuerſaliter autem affirmatione ſublata, ſcimus quòd periculũ eſt ſyllogiſmos omnes ablatos iri, nedum quòd demonſtrationes ſuperſint. deinde quæ erunt uim demonſtrandi habentia, ſi per quæ ſunt demonſtrationes, hæc uniuerſalia ſunt, & inſeparabilia? qui enim ſeparabilia faciunt eo per quæ ſunt demonſtrationes, ſimul quidem ex cauſis cauſata demonſtrant, ſimulq; demonſtrabilia demonſtrare poſſunt, cum & in ſeparabilibus cauſis ſunt, & in inſeparabilibus, ſed uniuerſaliora, ſed ſeparabilia quidem faciemus ea per quæ ſunt demonſtrationes. poſteriora uero & ſubſtantia ut homo in intellectu, qui ex ſenſibiliũ abſtractione in imaginationibus noſtris, aut opinionibus ſuſiſtentiam ſumpſit. ſed iterum nec ex prioribus neque ex cauſis demonſtrationes erunt, ſed ex poſterioribus, & cauſatis, & adhuc per non entia entia ipſa cognoſcemus. Quod maxime omnium irrationabile eſt. ſi igitur & nobis ipſis ex rebus concordes erimus, ſenſibilibus quidem naturales, rationalesq; ponemus. his uero conceptus noſtros conſiderantes entia per uniuerſalium rationum replicationem, ex quibus demonſtrationes oriuntur, & quodcunque ſcientiæ genus, ipſis uero rurſus eam, quæ in intellectu eſt, dominantem omnibus idealem ſubſtantiam, occurrentes uero ad has diuinas doctrinas inſtantiæ, quædam quidem cæcorum hominum ſunt. quædam uero facile confutantur.

Hi vero tanquam neceſſarium, ſiquidem erunt quædam ſubſtantiæ.

Expo-

EXPOSVERVNT *quidem dixit, ueluti particulares fecerunt. huiuſcemodi enim eſt expoſitio, ſed quòd etſi notionibus eſſent Platonici ditiſſimi, quia tamen entium progreſſus imagines habet in ultimis priorum ordinibus, in hoc uenerunt, ut diuinis quidẽ principialiter hæc nomina accommodarent. ſecundario uero & diminute, ſenſibilibus manifeſtum eſt præcedentibus.*

VT ACCIDAT fere eaſdem naturas eſſe.

NEQVE *enim omnia quæcunque ſunt in intellectu potuit id quod ſenſibile eſt habere. & quædam eorum quæ hic ſunt, ſubintrauit rerũ proceſſus, ut dimenſio et locus, ambiguumq; propoſitum circa ſubſtantiam noſtram. Iccirco mihi uidetur et ipſe uerbum illud fere addidiſſe. dicendum eſt autem quòd neque ijs intelligibilibus quorum imagines habet ipſum ſenſibile, in idem accedit. Aliud nanque eſt cauſa effectiua & exemplaris, & aliud quod ab ipſa, & ſecundum ipſam perficitur. ſi autem aſſimilantur ultima medijs et primis, quænam abſurditas fuerit eiſdem nominibus in omnibus uti? nam & tu animal eſſe dicis primum Deum, et ſenſibile, & pictum & nullus in eis hoc in controuerſiam reuocat.*

CAPVT SEPTIMVM.

QVOD autem & dicentibus ideas habet quandam dubitationem, & non dicentibus,
& quæ ſequuntur uſque ad finem libri.

DIFFICILE *quidem eſt occurrere ad dicta ob nominum confuſionem. principia enim & elementa, eadem tranſmutans uocat, et adhuc entia utrum intelligibilia corpora ſignificent, aut, quouis modo entia, forte aliquis ambigere potuerit. nam ſi de uere entibus ſunt ſermones, elementa proprie dicta minime in his comprehendemus, ſed principia quidem habere dicemus finalia, & effectiua. quæ uero propriæ elementa*

dicuntur,

dicuntur, in ſimpliciſſimis formis non ſunt. ſed ſi etiam ſenſibila comprehendant, dandum quidem eſt in his eſſe & elementa, et alia principia, ſed tamen non una eſt ratio de omnibus principijs, ſed elementaria quidem inſeparabilia ſunt, principalia uero ſeparabilia. ſed ſi opus eſt cum ad intellectũ philoſophi nos reſpiciamus, uerborum ambiguitatem ſpernere, uidetur mihi deſtructionem ſeparabilium ſubſtantiarum recuſare, ne cum omnis prorſus euacuauerit, ſimul auferat & ſenſibilem ſubſtantiam, & hoc ualde prudenter, & ſibi conſentanee. nam et alibi oſtendit, niſi ſit aliquid quod infinitæ uirtutis ſit, nihil fore quod et finitam uirtutem habeat. Iterum poſſibile erit ſeparabilem ſubſtantiam ei dubiam uideri, quia principia eius ſiquis ſupponat indiuidua, tot putare entia fore quot ſunt principia. intuetur enim ipſas ut elementa, et ſcientiam ipſorum non derelinquet. indiuiduorũ enim non eſt ſcientia, ut demonſtrationes, & definitiones declarant. ſi autem uniuerſalia non eſſe rationabile ſubſtantia indiuidua exiſtente principium eſſe inſubſtantiale. uidetur enim ei uniuerſale inſubſtantiale eſſe. dicamus nos interim ad hæc quòd principia idearum neque indiuidua ſunt, neque ſic uniuerſilia ut ſpecies quæ ſunt in anima, aut quæ ſunt in natura, aut quæ ſunt in ſenſibilibus, aut ut poſterius genita ſimulachra, quæ certe ſola inter uniuerſalia etiam amens quis iure dixerit, ſed ſunt ante omnia hæc, cauſæ exiſtentes uniuerſorum, ſed nullum horum quorum ſunt quæ ex ipſis producuntur: cum neque aliæ ideæ, quæ ab ipſis profectæ ſunt, indiuiduæ ſint, aut uniuerſales, ſed abſtracta ab his forma, & intellectualis. nam quemadmodum indiuiduum quidem materiale eſt, (nam in ſola materia diuiduntur & ueluti ſecantur rationes. uniuerſale autem in anima eſt) ſic quod omnino impartibile eſt intellectuale eſt. cur autem & uniuerſale omne inſubſtantiale eſſe dicimus? dubitatorum igitur quædam prudenter dicta ſunt, quædam uero contra ponentes

nullam

nullam uim, nec ueritatem habent. Ceterum reſponſio eius ualde coacta eſt & uiolenta. putat enim ſicut elementa uocis infinitas faciunt uoces cum à uoce inſeparabilia ſint, ſic et principia entium cum ſint inſeparabilia ab indiuiduis ſenſibilis ſubſtantiæ, ſed primum quidem illi non huiuſcemodi unitatem, & dualitatem ponebant. deinde quemadmodum hic eſt intellectus, & locutoria imaginatio transſmutatis elementa, & quauis tranſpoſitione differentes uoces perficiens; ſic in uniuerſo quid eſt quod tranſponat elementa, & æternam generationem conſeruat? nam ſi deterius intellectu, caue ne partes totis præſtantiores faciamus, & accidentia ſubſtantijs, & mortalia diuinis, & quæ ſemper eodem modo operantur his quæ raro in ſuis operationibus recta ſunt. ſi quæ quidem circa nos ſunt intellectu, quæ uero tota ſunt, non gubernari ratione dicemus. At ſi intellectus aliquis etiam hæc tranſponit, eſt ne intellectus in potentia aut in actu, aut qui utrunque eſt? manifeſtum eſt, quod ſi quidem per ſuum eſſe operetur, cauſam operatorum habet in ſeipſo, & imagines ſui ſubſiſtere facit. huiuſcemodi nanque ſunt omnia quæ per ſuum eſſe operantur, ſed ſi à propoſito, & tranſlaticia intellectione iterum ad quid eorum quæ in ipſo ſunt ordinata, & terminata reſpiciens, hæc operabitur? non enim temere profecto, aut inconſtanter, ueluti qui apud nos quicquid aſſecuti fuerint peragunt, ſed utroque modo ideas habebit operatorum in ſeipſo, neque enim nobis ex elementis, & quatuor terminatis daretur infinitas uoces producere, niſi etiam cuiuſque ipſorum ideam haberemus in nobis ipſis, & compoſitionis omnium ipſorum rationes. quare nanque irrationalia quidem breuiores habent propriarum paſſionum enunciatiuas uoces? homo uero millies millibus permutationibus utens nunquam ceſſat ſingulares componens. dicere uero uniuerſaliũ quidem potentia eſſe ſcientiam, ſingulariũ uero actu, eſt palam euertentis, quia gratã habet contentionem

nem cum ueteribus, & quæ in demonſtratiuis ab ipſo dicta ſunt, quòd ſingularium non contingit ſcientias fieri, nedum meliorem & perfectiorem ſcientia uniuerſalium. & ut uidetur primus modus primæ figuræ, qui ex duobus uniuerſalibus affirmatiuis concludit, quem in alijs maximam habere uim demonſtrandi dicit, non facit concluſionem perfectã, nec ſcientiam actu parientem: ſed erunt qui ex uniuerſali, & particulari, perfectiores preſertim ſi ſingularium ſit minor. ſenſum igitur eſſe principaliter quidem indiuidui, per accidens uero communis quod eſt in indiuiduo concedatur: ſed ob hoc grammaticas uelle principaliter eſſe de hoc α per accidens uero de communi à falſum eſt. Artes quoque ſunt magis de uniuerſalibus. generant quippe & indicant etiam ſingularia, eo quòd habeant ipſius communis cauſas. Nouit enim ſanare medicus hominem & non Calliam. Cum uero una cum materia operatur, indiuiduum ſanat, quia præaſſumpſit uniuerſales de ſanitate rationes. & grammaticus nouit uim ipſius α elementi cum attenuatur et aſpiratur, corripitur, atque producitur, ſeorſum profertur, & cum alijs componitur, præpoſitiue quidem in uocalibus, præcedente autem tono & ſuppoſitiue in conſonantibus. Cum uero proferre uolunt, aut indicare alterius prolationem, tunc operatur circa indiuiduum, eo quòd præacceperit ipſius uniuerſalis rationes. & hæc quidem de actibus, quæ hoc differre ab experimentis dictæ ſunt, quòd cauſas norint ſuæ operationis, quammaxime conſona ſunt ipſi Ariſtoteli, manifeſte & in rhetoricis artibus proclamanti nullam artem conſiderare ſingulare, ut inquit medicinam. non enim quid Socrate ſanum ſit aut Calliæ, ſed quid huic, aut huic, aut hiſce. hoc enim eſt artificioſum. ſingulare autem, inquit, eſt infinitum & non ſcibile. Cum uero ad ſcientias aſcenderimus, quæ nullum ſenſibile attingunt, ſed ſolas impartibiles & immateriales formas. quo pacto eſt in his intelligere

non eſſe principaliter uniuerſalium ipſas, ſed indiuiduorum. Verum nec quod in fine dictum eſt ſimpliciter quis & abſque additione receperit. ſi enim, inquit, uniuerſalia principia ſunt, uniuerſalia & quæ ex ipſis erunt, ut in demonſtrationibus: ſed in demonſtrationibus dixerit quis, principia materialia erant propoſitiones, & non manentes in ſe ipſis producebant concluſionem: ſed ſe ipſas præbentes ad problematis aſtructiones. In principijs uero effectiuis non neceſſe eſt, quæ generantur coextendi cauſis ſuis. protinus ſol unus exiſtens omnia alia generat, & nihil ſui uniuerſam potentiam recipit. ni forte autem & proximi ex uniuerſalibus ipſis principijs. dico autem uniuerſalia non ea, quæ in intellectu. hæc enim & ante uniuerſalia ſunt & per ſe principia. ſed ea, quæ in anima, ni forte igitur hæc principaliter quidem ſunt rationum naturæ generatiua. ſecundario uero per naturæ rationes ad materias procedentes, indiuiduorum ſunt productiua. quemadmodum uniuerſales propoſitiones principales concludunt, quòd omnis uerbi gratia trianguli anguli duobus rectis æquales ſunt. Secundario uero etiam ipſius gradarij. Diminute uero & ultimo etiam huius gradarij. ergo de uniuerſalibus dicit Architas. Recte autem dignoſcentes, & de partibus quale eſt unum quid inſpecturi ſunt. Aduertendum ergo quòd etſi eſſet hominum, quos ſcimus, ſolertiſſimus & fœcundiſſimus admirandus Ariſtoteles non prius potuit uniuerſalia deſpicere, quàm coactus eſſet & ſibi & ſenſui repugnantia dixiſſe. Hæc autem ſunt. ſcientias actu ſingularium eſſe & non uniuerſalium. & artifices principaliter quidem noſce indiuiduum, per accidens uero ipſum commune. Ad hæc uſque Aphrodiſieus librum μ producit. Sequentia uero attribuit libro ν.

SYRIANI

SYRIANI PHILOXENI IN LIBRVM XIII. METAPHYSICES ARISTOTELIS, QVI INSCRIBITVR Γ.

Interprete Hieronymo Bagolino, philoſopho præſtantiſsimo,

COMMENTARIVS.

DE HAC igitur ſubſtantia dicta ſint tot. Omnes autem faciunt principia contraria, ſicut in phyſicis uſque ad id: nullum igitur contrariorum proprie principium fuerit omnium.

SED *aliud per quæ aduerſatur his qui immobilium principia contraria faciunt: quemadmodum ipſe pro principijs ſenſibilium contraria una cum ſubiecto aſſumere non indignum putauit. Syllogizat autem more ſuo, contraria ſunt in ſubiecto, principia non ſunt in ſubiecto, ne ante ſubiectum non ſubſtantia ſit. patet concluſio. cõtraria igitur non ſunt principia. etſi principia non quatenus contraria, ſed quatenus alia quædam ſunt, ut intellectus, corpus, aut quo duis ſit ſubiectum ipſis. Ad quæ dicendum quod huiuſcemodi contraria illi in principijs non quæ aſſumunt, quæ ſunt non ſubſtantialia ſecundum id quod eſt deterius ſubſtantia, ſed forte ſecundum id quod medius eſt. ſubſtantiarum enim principia ſuperſubſtantialia eſſe oportet. omnino autem nec à quaſi oppoſitis uiri incipiebant. ſed & quod ulterius erat norant, ut teſtatur Philolaus, Deum dicens finem & infinitatem con-*

ſtituiſſe. per finem quidem uni cognatiorem oſtendens omnẽ coordinationem. per infinitatem uero eam, quæ ab hac eſt di minuta, & adhuc ante duo principia, unam & ſingularem cauſam & ab omnibus abſtractam præponebat, quam Ar chenenis quidem cauſam ante cauſam eſſe dicebat. Philolaus uero omnium principium eſſe affirmat. Brotinus uero quod Iuræus omne exuperat & ſubſtantia & uirtute & antiquitate. ex quibus motus etiam diuinus Plato et in epiſtolis, & in de republica, & in Philebo, & Parmenide eaſdem de eis uoces emittit. neque igitur propoſitiones ſane ſunt. nam & dicens contraria in ſubiecto falſa eſt, ſuperna omnino ſi contraria oportet uocare nullo modo non ſubſtantialia, & quæ dicit principia ſunt ſubſtantiæ. nam proprie principia, & quæ ſunt omnium principia ſuperſubſtantialia ſunt. nec concluſio aliquid eorum, quæ iuris placent confutat. etenim ab his quæ quaſi oppoſita ſunt incipiebant. ſed præponebant unum ab utriſque abſtractum & principijs, & elementis.

Hi vero alterum contrariorum materiã faciunt.

Nec *dualitatem, quæ eſt ante omnes numeros materialẽ cau ſam eſſe dicunt. neque enim omnino diuini numeri materia indigent. nec Plato interminatã dualitatem per inæqualita tem demonſtrans, diſtat à Pythagora qui eandem per multitudinem demonſtrabat. uterque enim ipſorum ex his, quæ per ipſum inſunt numeris, nititur ipſam appellare. dictum eſt autem quòd eſt multitudinis cauſa & progreſſus, & fœcundæ uirtutis, & diuerſitatis. quemadmodum unum eſt identitatis cauſa diuinis formis, & æternæ permanentiæ & immutationis. Manente enim, inquit, æuo in uno, cauſam æternæ permanentiæ in ijſdem, & eodem modo ipſius diuinæ ſubſtantiæ oſtendens.*

Etenim qui inæquale & unum dicit elementa.

Opor-

OPORTEBAT *enim, inquit Platonem, dicere, hæc ratione quidem duo eſſe, numero uero unum. ſic enim melius eſt exponere, quàm ut Alexander opinatus eſt ipſum dicere: ſed ò mirabunde dicemus non ſic Platonem dicere alterum principiorum inæquale & dualitatem & magnum & paruũ, ut tu nunc accipis. Sed quòd multitudinis exiſtens & proceſſuum cauſa, & omnia generans magna & parua, ut conſueuit ibi idem dici. his etiam meretur nominibus ſignificari. omnino autem ſi quidem aliud eſt ipſius ſubiectum, alia autem in ipſa rationes, ut Socrates eſt alius à ſimo, & uentroſo, aut ſi ſecundum quid quidem inſunt magna, ſecundum quid uero parua, poterat ratione quidem duo facere ipſam, ſubiecto uero unam. ſi uero exceſſu ineffabili ab his, quæ ab ipſa fuerit magnis & paruis ſecreta eſt, & eſt quolibet ſubiecto melior, quem habet locum huiuſcemodi ſermonem directio?*

AT VERO & principia, quæ elementa uocant, non recte tradunt.

OMNES *hi ex ſententia eius, diuinius quidem principium, & paternum numerorum unum uocant, maternum uero quidam magnum & paruum ut Plato. quidam multum & paucum, directi. quidam excedens & exceſſum, ad generalius recurrentes. quidam uero aliud. quidam autem multitudinem: ſed omnes hos idem oſtendere ſæpe meminimus: ſed illud dicit ſequi his qui generaliora aſſumunt contraria cum ſpecialioribus, & numerum aſſumere. at hoc falſum eſſe deprehenditur. nam ſi interminatam dicis dualitatẽ, quo pacto genus eius eſt numerus, qui ex ipſa generatur? ſi uero ipſam per ſedualitatẽ primus in idealibus numeris hic eſt.*

SI AVTEM ſunt ut uolunt entia ex contrariis.

INTENTIO *eius manifeſte oſtendit ſe uelle præiudicare unũ ex*

ex omnibus & hunc improbare, ut ex ſuperabundanti alij ſunt condemnati: ſed eſt dicendum, quòd nec iudice indigent uiri cũ, nec omnino diſſentiant, nec ab ipſo confutantur. Qui uni multitudinem opponunt. Vt unum paucum facientes, ſi enim aliquid eorum, quæ in nono meminimus, in illis dicebatur manifeſte nec multitudini omni paucum eſſe contrarium ſed exceſſum habenti, neque unum contrariũ eſſe multitudini & numero; ſed potius ut ad aliquid opponi. Quapropter falſæ ſunt ambæ propoſitiones etiam ex ſententia eius, per quas redargutionis ſuæ colligit concluſionem, et quæ dicit unum eſſe contrarium multitudini, & quæ ponit omne contrarium multitudini paucum eſſe, & non indigebimus quibuſdam, quæ propoſitionibus aduerſentur, ſed tamen eorum, quæ ab ipſo in nono ſcripta ſunt, lectionẽ faciemus. etſi cur de his fruſtra diffundor? nam neque unum quod illi ponunt, uir dirigit, nec multitudinẽ, ut dicebant, accipit. Declarabunt quoque ſequentia extra propoſitũ uiri occurſum.

V**NVM** uero quòd menſuram ſignificet numerum eſt, & in omni eſt aliud ſubiectum, *uſque ad illud,* aut alicuius alterius huiuſcemodi appellationis.

C**VM VIRI** *illi diuini dicerent unum quidem ipſum Deũ ceteris unionis cauſam, & cuiuslibet entis, & omnis uitæ, & intellectus perfectiſſimi ulteriorem menſuram unam omnium, ut omnibus ſubſtantiam, & finem illuſtrantem, & ut omnia continentẽ, & terminantem ineffabilibus ſuis, & omni fini ſuperexpenſis excellentijs dæmonius hic uir minimam in quantitate, & ob paruitatem omnium eiuſdem generis communem menſuram apparentem accipiens, affirmat nullam eſſe neque menſuram, neque unum quod non ſit in ſubiecto et prius, ut ab uno entium principio aut illi connexa unitate. quaſi à quodam pauimento diuino decedens ſermo, omnem quidem aboleuit incorporeorum diſputationem. totius*

tius autem mundanæ latitudinis in ultima corporum delatus ſupinus proſtratus eſt, minimas ob paruitatem & tenuitatem inter ipſas moles pertractans. & ob hoc horum quidé eiuſdem eſſe ſpeciei menſuram enuncians, ut in equis, illorũ uero eiuſdem generis ut in homine, equo, Deo, In quibus non nouit, quid dicat, etenim ipſe dubitauit, quomodo ex differentibus prædicationibus numeris nominauerit, niſi quòd numerum generum ipſum uocari iudicauit. Dignum itaque eſt his, aut quæ ſunt præclari Pythagoræ conferre, qui exemptum eſſe omniquaque ipſum unum & menſuram, non ſolum à corporibus aut mundanis rebus: ſed & ab ipſis intellectibus. Cum ipſum ueneratus principium eſſe entium dicit, & intelligibilium menſuram ingeneralem & æternam, & ſolá, & dominatricem, & ipſam ſe ipſam oſtendentem. aut quæ ſunt diuini Platonis, in quibus Deum menſuram eſſe omnium enunciauit, ut principia, & fines, & media entium in ſe ipſo amplectentem. hæc enim quis mente concipiens facile puto conſpicit, quantum receſſit à uera menſura, quod nunc ab ipſo aſſignatur unum & menſura, quæ diligenter ſic menſurare quandoque poſſunt, ut illa per quæ menſuratio fit. non enim equus eſt qui menſurat decem equos: ſed Iuræus noſter forte equo utens, ſed ut exactius loquamur, neque equo, ſed uno monadico, quod eſt numeri ex unitatibus conſtituti principium, & ipſo numero monadico, hoc eſt ex unitatibus conſtituto, ſed ueræ menſuræ ſubſtantiam, & potentias, & finem menſurabilium determinantes menſurarum, denominatione ſic dignæ exiſtimatæ ſunt. & hæc neque ipſum Ariſtotelem latuerunt. ſcribit quippe in ſecundo Politici libri de his eadem cum his, qui ante ipſum philoſophati ſunt. & dicit palam hoc pacto, omnium enim certiſſima menſura eſt ipſum bonum. Quare manifeſtum eſt, quòd logice potius & gratia contentionis ei procedunt rationes, & æquum eſt nos in ſingulis talium homericum

mericum illud contra ipſum alloqui, ſcio & alias fabulam hac meliorem intelligere.

QVI uero inæquale ut unum quid, dualitatem autem interminatam faciunt magni & parui, uſque ad id, nunc autem alterum ſolum prædicatur.

VNVM *& æquale quod in principio paterno magis aſſumitur. nec eſt ad aliquid, nec omnino accidens: ſed ſi opus eſt uera dicere, res ſubſtantialis unionis, & qualitatis omnibus cauſa, & manſionem, & firmitatem, & immutationem, & puritatem, ſeu ſinceritatem omnibus ſuperluſtrans, quemadmodum & ipſum inæquale quod quandoque quidem in magnum & paruum ſic diuidit, quandoque uero in multum & paucum, quandoque etiam in excedens et exceſſum, cum in prima dualitate aſſumitur. ſignificatiue quidem auctricem cauſam uniuerſorum oſtendit. melius autem non quidem ſolis accidentibus, ſed & ex ipſa generatis ſubſtantijs conſtituit. Ridicule igitur ad conſuetiora multis nominum ſignificata latus ſic corrigit antiquorum doctrinas. nos uero non ſolum non facere ipſos accidens prius ſubſtantia affirmamus. Verum nec ſecundum aut inferiorem aliquem locum in principijs, & diuinis ideis accidenti diſtribuere. omnino enim nihil immobilibus accidit ex ſententia ipſorum, ſed & ipſa æqualitas ibi & ipſa ſcientia, identitas, ſimilitudo & alteritas. omnia hæc ſubſtantiæ ſunt & ſui, & non aliorum huiuſcemodi ſunt. huiuſcemodi enim ipſas multis in locis: ſed et in Phædro Platonem deſcribentem audiuimus: conſpicit ipſam iuſtitiã, conſpicit temperantiam, conſpicit ſcientiã, non qua adeſt generatio, nec qua alia alicubi ſit in alio, quales uidelicet ſunt eorum, quæ non entia nũc appellamus. ſed illam quæ cum ſit in eo, quod eſt ens uere ſcientia eſt. idcirco & ſingulo eorũ, quæ ibi ſunt ipſum uocare conſueuit, quod ſecundũ quoſdã exactiorũ, eo quod ſui ſit*

&

& non alterius, melius eſt. Quare & ſi cauſa ibi ſit, hic uero cauſatus non eſt ibi hoc accidenter: ſed ſecundum ſubſtantiam & in uniuerſum de omnibus habitudinibus eadem eſt ratio. quare quædam eorum, quæ ibi ſunt ſuperſubſtantialia ſunt. quædam uero ſubſtantiæ. accidens uero forte circa animam in generatione exiſtentem, & ipſam generationem. Hæc ergo ad totam eius argumentationem dicta ſint. dicere eſſe uero dualitatis, quæ ibi eſt cauſam, ipſum paucum, aut denarij ipſum multum nulli quod noſtrum eſt commiſerit. Non enim monadicus eſt numerus cui hæc accidunt, aut aliter ineſſe poſſunt.

SIMPLICITER autem conſiderare nunquid poſsibile ſit æterna ex elementis conſtare.

ET *antequam ipſe huic obuiaret prædiximus nos, uel potius non nos, ſed antiquiſſimi philoſophantium, & optimi: quia & ex materialibus elementis, aut omnino ex elementis, quæ ſic dicuntur elementa, ut in alterius conſtitutione aſſumantur, non ſubſiſtunt diuinæ ideæ & formæ. quod enim ex materialibus conſtat elementis generabile eſt, & corruptibile. quod uero ex immaterialibus & ſi ingenerabile, tamen eſt compoſitum. ſimplices uero & ingenerabiles opus eſt eſſe diuinas formas, & neque ut animam ordinatas eſſe, neque multo magis mundum hunc eſſe compoſitas. nihil igitur opus eſt nos recurrere ad primum negocium de cælo, in quo demonſtratum eſt generalem, & quòd omnino poteſt non eſſe corruptibile eſſe, & non æternum. ſed ſponte ipſi concedentes, etſi non omnia ſigillatim, ſaltem ipſam concluſionem recte ſe habere elementa dicimus ab antiquis uocari generatorias omnium cauſas. Cum autem multa dicta ſint in his digna aduocatione. illi maxime ſumpto eſt aduertendum, in quo dicit nullam eſſe ſubſtantiam æternam, niſi ſit actus. nam ſi actu in ſexto legerimus caſu, erit quidem*

& nunc ſecundum ipſum, æther æternus. ſed non concinit probationi ſumptum hoc. nihil enim prohibet etiam, quod eſt ex elementis, ex materia actu eſſe: ſed ſi in recto caſu actus periculum incurret nunc, nec cœlum non æternum dicat, etſi æterno tempore ſubſiſtat. non enim ſemper quod eſt immateriale, & forma ſtatim ſeparabilis eſt.

SVNT autem quidam, qui dualitatem quidem interminatam faciunt.

NON *grauiter ferentes huiuſcemodi æquale, nec timentes admirandas dialecticorum argumentationes, dualitatem dicere multitudinis cauſam uoluerunt: ſed quia cognationem eius cum præſtantiori principio oſtendere uoluerunt, cum illud æquale putarent appellandum eſſe, hanc inæquale appellabant. unum autem, ſeu unitatem illud appellantes dualitatem hoc dicere maluerunt, ob quas uero cauſas, ſæpe diximus. diximus quoq; alias eſſe, quæ idealem numerum: alias uero, quæ mathematicum conſtituant, longe quidem ſemotas, ſed per ſimilitudinem quandam in illis exiſtentes.*

MVLTAE quidem ſunt cauſæ euerſionis ad has cauſas.

HEV *certe quamuis eſſes bonus, fortiter dixiſti, ſi Plato ſtulte dubitaut, & præcipue ſuppoſitiones in Sophiſta poſitas proſequens. Poſtea quid commune habet non ens alterius natura ad minima diuiſa adduxit ipſum: principia uero entis generibus priora ſunt. & quod eſt unitatis, quodq; interminatæ dualitatis.*

ET SI primum quidem ſi ens multipliciter.

MAXIME *uero de aliis entibus ſermones apud Platonem fiunt. ſi igitur & hæc decem genera afferre uolebas, quaſi poſſes abſque non ente oſtendere multitudinem in entibus, audi rurſus quòd ſi non ſit alteritas, nec decem entis genera*

fuerint,

fuerint, nec utique duo, neque aliud, quid præter unum numero? Cum autem ſit alteritas, eſt & non ens. unumquodq; enim decem generum entis, ſi eſt aliud ab alijs, ſingulariter quidem eſt, ſed uno modo non eſt. quare magis non eſt, quàm ſit. etiam ſi ipſam dixeris ſubſtantiam. Cum enim ſit ſubſtantia nec quantitas, nec qualitas, nec paſſio, nec actio eſt. Compone igitur ipſum, & uim dogmatis inuenies. ſi multa ſunt, eſt alteritas. ſi eſt alteritas, eſt non ens. ſi multa entia ſunt, eſt non ens. non erat igitur alio modo inſtare ad apparentiam Parmenideæ rationis, nec alio modo ſtabilita multitudo, niſi & non ens ſimul inferretur. nec ob hoc rupugnat Plato ipſi Parmenidæ in eo, quod ueriſſimum eſt: ſed ſunt quidem utrique ſermones ueri: ſed eſt manifeſtior qui Platonis. ille enim de ſolo intelligibili diſſerens, & per unionem ipſum proſequens, & dominantem in ipſo identitatem, & Empedocleam amicitiam, unum eſſe ens enunciauit. Plato uero. cum noſſet eſſe quodam modo & ipſum ſenſibile, quoſi eſt alterum à uere ente, quod etiam ob hoc decens eſt non ens potius quàm ens appellari. eſt uero & ipſum intelligibile, non minus multitudinem, quàm unum alteriuſq; naturam induxit ad entia, & hac ſubſtantiale non ens aſſequens demonſtrauit, ut in Sophiſta multis argumentationibus fide dignis probatum eſt.

DEINDE ex quo non ente, & ente entia ſunt.

VT EX *ſpecie quidem & priuatione minime. omnino enim priuatio nihil entibus prodeſt per ſe: ſed quia cum apud eos quinque entium genera ſint, unum quoddam iſtorum alteritas eſt. opus autem huius eſt ſingulum facere, quòd alia non ſit ex non ente: quod eſt per ipſum alterum, & ſubſtantia multa ſunt entia. ſubſtantia enim omnibus eſſe communicat, cum non ſit illorum, ut quibuſdam ſubiectum, ſed principium & fons quidam eſſendi, & omnibus hoc ſugge-*

rens abſque ſui diminutione. Alteritas uero diſiungit non loco, ſed ſubſtantia entia ipſa & multiplicat, & facit non eſſe altera alteris eadem, & ſeruare ſingula ſuæ proprietatis puritatem, & immiſtam immaculatamq; conſtitutionem: ſed ſi entia more noſtro dicentes ſenſibilia nominemus, & queramus ex quo quidem ente, quo uero non ente, hæc ſubſiſtentiam ſumpſerunt. Iterum diuini uiri & alia entis genera & prædicta ſubſtantiam & alteritatem cauſas dicent. extenditur nanque eorum operatio & fœcunda uirtus ad omnia quouis modo entia. uerum quia infima entia pluribus cauſis ſubſeruiunt, & magis uaria compoſitione utuntur, ex ente quidem ſunt ipſa forma, non ente uero ab ipſa materia: ſed ut hoc pacto tantum dicentes ipſos etiam ipſe Ariſtoteles audit. ſcribit enim conſequenter ad hæc.

VVLT itaque falſum, & hanc naturam dicere ipſam non ens ex quo & ente multa entia.

CVM *illi dicerent non ens quod eſt ex alteritate etiam in intelligibilibus eſſe: ſed in ſenſibilibus hoc ipſumq; & materiale, uocaruntq; materiam non ſolum non ens, ſed & falſum: quia uidetur quidem eſſe omnia, ſed mentitur. & nec eſt, nec fit aliquod entium. admirandus Ariſtoteles primum quidem interrogans eos ex quo ente & quo non ente ſubſtantiarum multitudinem producunt. ſuppoſuit ipſos dicere de eo, quod eſt per materiam. deinde ſumens ab ipſis quòd falſum uocabant materiam, quam ſubijciebant formis. inquit ipſos ex falſo ſupponentes entia facere hoc modo ſyllogizans. entia non ex ente: falſum non ens: entia ex falſo: quibus uerſutiſſime ſubiunxit, quòd imitari forte nituntur geometras, non tamen imitantur. non enim affirmant illi ex deſcripta quidem, quæ pedalis non ſit, ſe quadrangulum deſcribere. hoc recte dicens quòd non utitur geometra falſo. prætermittens & uniuerſum non ens apud eos, quod*

& uſque ad incorpoream ſubſtantiam diffunditur, & falſum quomodo ab ipſis de materia dicebatur. nō enim ut conſueuimus falſam orationem dicere, aut opinionem falſam, quæ rebus non conſonat, ſic falſum materia apud eos dicebatur, ſed eſt dicta cauſa.

SED QVIA non ens ſecundum caſus paribus modis cum præſentis dicitur.

ILLI, *inquit, multitudinem ex non ente falſo ſcilicet faciebant. ego uero ex non ente quidem non multitudinem tantum, ſed & unum quodcunque, non ente autem actu, ſed ente ſolum potentia: & iccirco falſo exiſtente. hæc autem ſiquidem ut illos exponens diceret, modeſtus eſſet: ſed quia ut aduerſus illos conſtitutus, intelligat ſe quod eſt circa generationem non ens illorum exponetur: ſed quod eſt totum, & ens prætermittit.*

VIDETVR autem quæſtio eſſe quo pacto multa ens in ſubſtantiis.

QVAERENTES, *inquit, quo pacto multa ſit ipſum ens, nihil aliud quærebant, quàm quo pacto ſubſtantiæ multæ, ac ſi omnia eſſent ſubſtantiæ ſecundum eos. At oportebat, inquit, quærere quo pacto multi colores, & quo pacto ſapores multi. non enim accuſarent amplius magnum, & paruum: dicendum ergo eſt ei, quòd ubique quidem dualitas eſt multitudinis cauſa, quatenus ſcilicet ab uno cum proprijs differentijs res producit, quatenus uero eſt principium, & in ſingulis entium ordinibus propria unitas, & huic connata ſibiq; accommodatum numerum generans duitas reperitur; ſed ſi plura de ſubſtantijs quàm accidentibus dicunt, & intelligibilibus, quàm ſenſibilibus, mirandum nihil. uniuerſum enim fere ſtudium fiebat uiris circa manifeſtum, & notum,*

notum; & eodem modo ſe habens, & intelligibile: ad umbras uero, atque entium ultimos terminos raro declinabant.

AT VERO ſi hæc aggreſſi fuiſſent, uidiſſent utique cauſam, quæ & in illis.

CONSIDERARVNT *quidem & accidentia, & uiderunt reſpondentia etiam in his eadem eſſe principia, & propriam ipſorum unitatem, & duitatem, illam quidem identitatis, hanc uero alteritatis, & multitudinis ipſis cauſam: & nec quia ueram cauſam prætermiſerit, nec ex alia cauſam enti & uni diuiformem cauſam aſſociarunt. principium uero, quod tu extollis, quod per negationem dicitur, materiale eſt, non homo nanque materia hominis eſt. hi uero & hoc nouerunt in ultimis entium neceſſarium eſſe principium, ſed non uocabant cauſam, ſed concauſam: effectiuas uero cauſas in rationibus reponebant naturalibus, & opificijs. eſt ergo in natura ratio una omnium colorum generatiua, & alia, quæ primo quidem ab hac perficitur, cum ipſa uero & multitudines, & differentias colorum producens, & hæ ſunt colorum unitas, dualitasq́;: ſimile his reſpondens etiam in alijs accidentibus eſt, quæcunque per rationes naturales perficiuntur.*

VNAQVE entium natura, quemadmodum & hoc aliquid & quale, & quærere oportebat etiam hoc.

SVNT *quidem ea, quæ dicimus, ad aliquid una natura entium, ex qua & ordo eſt, & compaſſio, & proportio omnis; & conſonantia in mundo; non curarunt tamen illi conſiderare principia naturæ huius, ſed de cauſa ſingularis eius formæ, & multitudinis locuti ſunt. ſed ipſum hoc certe mirandum uidetur, quòd cum uterentur multis inæqualibus, ut multis uni-*

unitatibus, non dixerint, unde multa inæqualia ſubſiſtant. Ineſt porro mihi admiratio, quare, cum habeat laudatas ideas, & idearum principia, alias cauſas concupiſcit multitudinis inæqualium? nam ut multorum ſimilium & diſſimilium per ſe ſimilitudo, & per ſe diſſimilitudo eſt cauſa, ſic multorum æqualium, & inæqualium per ſe æqualitas, & per ſe inæqualitas cauſa eſt. & de his quidem dictum eſt in Phædone, dictum quoque eſt latius in Parmenide. At ſi ad principia idearum aſcenderes, inuenires utique adhuc priores cauſas, unitatemq́; & perſedualitatem: quarum altera identitatem, æqualitatem, ſimilitudinem ſibi uendicat magis, dualitas uero alteritatem, inæqualitatem, diſſimilitudinem.

NECESSE eſt igitur, ut dicimus, ſupponi quod potentia ens unicuique.

QVOD *quidem in infimis, quod potentia eſt uniuſcuiuſque, & materialem cauſam aſſumis, recte ualde & naturaliter: ſenſum tamen Pythagoreorum, & ipſius Platonis non percipis; cum magnum, & paruum apud ipſum aut inæquale, aut omnino interminatam dualitatem ad aliquid putes eſſe. nam re uera ad aliquid ſubſtantiarum neque negationes ſunt, neque potentiæ. ſed ni forte in cauſa generante cum unitate res ipſas, dualitatem ipſam reponunt. ſed ſi alicubi & materiam u t ſimulachrum ferentem illius principij magnum, & paruum uocant, aut inæquale, aut dualitatem interminatam, non hæc, quæ ad aliquid, reducunt, ſed oſtendunt in ipſa formarum partitionem, & irregularitatem, & exitum. non enim ſolum altera ab altera diſtat, ſed, quod & intellectu, & dictu maxime mirandum eſt, ipſa à ſeipſa ſeparatur, & diſtat, cum materiæ ſit propinquior. quid igitur opus erat uirorum intelligentiam relinquentem uocibus ipſis conferre manus, & obiurgari, ut alterum prin-*

principiorum, quod uni aſſociant ad aliquid facientes, & unum prædicamentorum materiam ſubſtantiarum eſſe differentes?

MVLTOQVE magis ut ſi dictum ſit, & ſi quæſitum, quo pacto multa entia non in eodem prædicamento.

NON RECTE *putas circa ſenſibilia uerſari aſſuetus. & illi quidem de his etiam aliquid dicunt, ut ad ultima detruſis. Veruntamen quia præcipuis entibus, & intelligibilibus ſtudio ſuo incumbunt, iure illarum ſubſtantiarum principia frequentius pertractantes. his qui circa ſenſibilia uerſari proponunt, occaſionem præbent ſe in his quoque quæ hic ſunt eadem proportione principia ſpeculari opus eſt, illud quoque concludere non eſſe arduum dictu, quo pacto ſenſibilia multa ſint. etenim loco hæc ſeparantur, & ſubiecto diuerſo utuntur, & adeò magna eſt in ipſis alteritas, ut ſibi ipſis etiam quædam ipſorum pugnent: ſed quo pacto intelligibilia multa ſint, cum nec loco ſeiungantur, nec ſubiecto detineantur, non habitudinem, aut inclinationem ad ſecunda fecerint. iure quæſierit qui non eſt prorſus intelligentia ocioſus motu ue difficilis. Præterea cum Parmenides, cum quo erat ipſis rebellio. diceret unum eſſe ens, non quale aut ad aliquid, aut quantum, aut penitus aliquid eorum, quæ hic: ſed uere ens, & intelligibile par erat eis non abſque occaſione contra uirum occurrere, oſtendereq; ibi multitudinem eſſe: ſed ante quàm oſtenderent, neceſſario quærebant multitudinis cauſam, quæ ibi eſt & inueniebant, ut quidam in generibus entis alteritatem, & quod eſt ab ipſa non ens multitudinis principium. ut uero in cauſis maxime primis interminatam dualitatem quam Chaos Pythagoras in ſacro ſermone uocauit aſſocians eam intellectui, hanc nanque diſtribuit unitati appellationem in illis. Recte igitur & huic*

inqui-

inquiſitioni incubuerunt, & cauſam multitudinis uirorum entium tradiderunt, nec ad aliquid alterum principiorum fecerunt, nec de ſenſibilibus ſermones prorſus prætermiſerunt, ut declarant, quæ ſcribit Eccelus de uniuerſi natura. ex quibus quæ ſunt de generatione, & corruptione, ſolummodo permutata eſſe uidentur, necnon Timæi maxima pars, per quem peripatetica philoſophia plurimum de diuinis loquitur.

In aliis ergo prædicamentis habet quandam, & aliam inſtantiam quomodo multa.

In accidentibus, *inquit, & hoc dubitauerit utique aliquis, quare cur à ſubiectis minime ſeparari poſſint, nihilominus multa ſunt in ſubſtantijs. nanque conceſſum fuerat multitudinem ex non ente eſſe, ſed quo pacto color ex non colore? Deinde inſtans dicit quòd neceſſe quidem eſt, & accidentia materiam habere, ſed non ſeparabilem, inquit, à corporibus: ſed illud præcipue dicit eſſe dubium quo pacto multæ actu ſubſtantiæ ſunt. ut igitur & nos ab ultimis incipiamus, hæc illis uidetur aperte quærens. etenim ipſi de multitudine dubitabant intelligibilium, in quibus eſſe potentia prorſus ablatum eſt: & hic in dubitatione permanet, cum nec ideas recipiat, nec principiorum uim habentes cauſas, nec omnino effectiuam cauſam in æternis admittens. Cur nanque apud ipſum tot ſunt intellectus, & nec plures, pauciores ue, dicere non poſſumus. non enim ob ſphæras, quæ ab ipſis mouentur, tot ſunt intellectus, ſed forte econtra. Deinde etiam ſi ſic ex ſuperbia nititur dicere, dubitabimus rurſus de multitudine ſphærarum, unde, & cur tot. qui uero mundanorum omnium menſuram reponunt penes opificis intellectum, & ad has, & ad omnes alias quæſtiones cum magna facilitate, ac ueritate uerſantur, ſed & media apud ipſum ſpeculatio quæ erat, ſenſibiles ſubſtantias ex non enti-*

bus fieri, admittit quidem ut illi materialem cauſam, ſed prætermittit effectiuam, & exemplarem. Inſtantia uero de accidentibus ſoluitur quidem et ab ipſo. multa nanque ſunt accidentia, etſi non ſubiecto, ſaltem ratione, ſed perfectius eſt manifeſtam opificis operationem adducere pro cauſa, & alteritatem naturalium potentiarum, & materialium formarum circa ſubiecta diuiſionem.

AT VERO etſi non idem eſt hoc, & quantum.

PRIDEM *accuſabat multitudinem ſolam ſubſtantiarum quærentes, unde producta ſit. nunc uero neque hoc eis concedere uidetur: ſed quia de numero plurimum diſputant unius præſenti dixit ipſos multitudinem perſcrutari non ſubſtantiæ, ſed quantitatis. numerus nanque, inquit, omnis eſt quantus, & unitas. deinde inſtans, niſi forte, inquit, non eſt quantum unitas: quia menſura eſt numeri, & indiuiſibilis. ſi igitur, inquit, etiam ipſis placet differre quantum à ſubſtantia, de multitudine quæſiuimus ſola; quæ eſt in quantitate. ſi autem idem putant eſſe quantum, & ſubſtantiam in idem ducunt accidens cum ſubſtantia, & ſubiectum cum eo, quod in ſubiecto, & omnino aduerſantur manifeſtis. dicenda igitur ſunt eadem ad ipſum, quòd omnia entia numeros uocabant. Quærentes ergo quo pacto multitudo ſubſiſtit in numeris de intellegibilibus quærebant omnibus, & ſenſibilibus, & ubique in ſingulis duale principium multitudinis cauſam eſſe dicebant.*

CONSTITVERIT quoque quis conſiderationem de numeris, unde oportet accipere fidem.

ADVERSATVR *quidem in his ei qui mathematicum numerum à ſenſibilibus ſeiungit, & propriam ei ſubſtantiam præbet. ſed miratus quis fuerit, cur nullius ipſum cauſam eſſe putat. etſi quiſquam eſt alius cauſa animabus noſtris*

men-

menſurandi determinata ad hunc? ubi etiam diuinorum adeo manifeſtas imagines conſpicimus ut in ipſo. ubi etiam figuras, & figurarum cauſas, & principia omnium mathematum uiderit quis pure, ut in his numeris? & hoc igitur miratus utique aliquis fuerit, et quod dictum eſt in ultimis expoſitorum dictorum, quòd omnes de mathematicis numeris ſpeculationes etiam de ſenſibilibus erunt. primum nanque quæ ſenſibilium adeo ſunt conſequenter ordinata, ut unitate ſola à ſe differant, & hac differentia procedunt uſque in uniuerſum. Deinde in quibuſnam ſenſibilium huiuſmodi habitudo, et rectus ordo conſiderabitur, ut reſpondentium multiplicium, & tria quidem ſit quadratum. quatuor uero cubus, ſeptem uero cubus pariter, & quadratus. ſed & ſiquis inducat, & ordinat hoc pacto ſenſibilia maxime quidem uſque ad aliquid uis iſta procedet, eo quod non nata fuit ſenſibilia hanc inter ſe rationem obſeruare. Deinde ex mathematicis numeris transferret ordines. non enim profecto hunc in natura ſenſibilium poſuit opificis prouidentia, ubi etiam pulchritudinem theorematum hanc materia recepiſſe poteſt. præteer unum uero, eſſe imparem, & parem, ubi non habent ſenſibilia? niſi quis ex numeris etiam hoc accipiens ad parum ipſo utatur, materialem naturam cogens. ſi uero non, quantum eſt in ipſis ſenſibilibus nihil utique moleſtia afficiet, ſiue par pari, ſeu impar impari ſucceſſerit. etſi quidem uſque ad aliquid hoc haberent numeri, forte utique quis ex aliqua impoſitione, & lege noſtræ intelligentiæ hoc pacto ipſi eſſe diſpoſitos diceret, ſed quia eodem ordine, & eiſdem formis uſque in infimum procedunt, & quouſque noſtra ratiocinatio aſcendere poteſt, eouſque eadem euariatione conſiderat diſpoſitos cuilibet conſtat habere eos hunc rectum ordinem propriam ipſorum naturam concomitantem. quem Iureus eis, & priorum numerorum eam exemplaueris conſiſtentiam in animis accipientibus elargitur.

tur. Igitur nec pulchritudinem, nec ordinem, nec ſeparabilium formarum imagines, nec multitudinem conſiderationum, quæ ſunt in mathematicis numeris, nec principia omnium ſcientiarum dedecorabimus, poſteriorem facientes ipſum numerum, & ſenſibilium abſtractionem eſſe putantes.

PONENTES igitur ideas eſſe, & ipſos eſſe numeros.

CVM *de tribus opinionibus in his meminerit & illa, quæ idealem numerum ueneratur, quam in ſuum præceptorem remittere conſueuit, & ea quæ corpora facit numeros, quam attribuit Pythagoricis, & ea quæ mathematicum numerum ſolum nouit; tertiam improbat magis ut ſcilicet alijs minus habentem rationis: ſed nec de duabus Platonica, & Pythagorica dicimus ipſum ſufficienter narrare, nec de tertia ſanum aiquid dicere. primo nanque nullus fuit, qui mathematicum ſolum numerum eſſe putaret. ſed forte qui mathematicis nominibus, & in diuinis numeris huiuſcemodi uir uteretur, cauſam adhibuit erroris quibuſdam. Deinde cur non ſufficienti ſigno utuntur, quo probant ſeparatum eſſe à ſenſibilibus numeris mathematum exiſtentiam dicentes? ſi eſt arithmetica, ſeu naturalis ſcientia, eſt numerus ſeparabilis. atqui præcedens eſt, igitur & conſequens. hic uero obuiaſſe ſe prius dixit ad connexum, et ſi nec in illis ſufficiens aliquid ad mathematum confutationem dictum ſit, niſi quòd uniuerſalium ſcientia potentia eſt; ſingularium uero actu. ſed nec quod nunc dicitur, habet aliquam uim. Non enim, inquit, ſeparabilium partitiones in ſenſibilibus eluceſcerent. rurſus nanque abutitur æquiuocatione numerorum, & paſſionum. aliter nanque in monadicis, hoc eſt, qui ex unitatibus conſtituuntur, & ſecundum proportionem quidem, aliter uero in ipſius naturæ operatis huiuſcemodi pleraque reponuntur.*

PYTHA-

PYTHAGORICI igitur nullius huiuſcemodi rei ſunt.

CVM ſuppoſuit, Pythagoricos quidem ſeparabilem numerum non facere, ſed ſenſibilem mundum ex numeris conſtituere; quoſdam autem alios, (quia dignitates, & uniuerſales propoſitiones in nullo ſenſibilium uerae ſunt magnitudines & ſenſibilia facere; dubitat contra Pythagoricos quidem, quo pacto ex grauitate magnitudineq; carentibus numerus ſenſibilia corpora conſtituere poſuit. contra eos uero, qui ſeparant quo pacto paſſiones magnitudinum, & numerorum ineſſe ſenſibilibus poſſint, niſi inſeparabiles ab ipſis numeris ſint. Dicendum ergo eſt pro Pythagoricis quidem, quod norunt quidem, & alios numeros, nec de ſenſibili tantum diſſerunt, ſed etiam de intellectualibus, & animalibus, & naturalibus diſpoſitionibus docent. utrum enimuero & ſenſibilem mundum ex immaterialibus rationibus, & actiuis, & antiquioribus cauſis ſubſiſtere faciunt. quicunque uero nec etiam naturae ipſi rationes praebent, nec res ipſas ingeminant, hi admirantur quo pacto ex grauitate, magnitudineq; carentibus grauitas, & magnitudo conflatur; quamuis ex huiuſcemodi, quae grauitate, & magnitudine carent, ut ex partibus nunquam grauitas magnitudo ue compoſita fuerit. & hoc abunde oſtenſum eſt. ex elementis uero impartibilibus per ſe exiſtentibus magnitudo generatur, ſi quidem forma, materiaq; elementa ſunt corporum. & adhuc multo magis à uerioribus cauſis, quae in rationibus, & formis opificijs conſiderantur. Cur non omnes dimenſiones, molesq; omnes eorum, quae in motu feruntur, ſuam generationem recipiunt? aut enim ingenerabilia ſunt, & ut ex cauſa corpora ipſa, aut dimenſorum indimenſas expartibilium impartibiles, & ſenſibilium, & contrariorum inſenſibiles, & intactiles percipiendae ſunt cauſae. & aſſentiendum eſt ijs qui ita ex impartibilibus ea generari dicunt,

dicunt, quæ habent magnitudines. pro his uero qui ſeparant numeros, dicemus nihil mirandum eſſe, ſi ſimilia ſunt operata cauſis ſuis. Cum igitur ſeparabiles numeri uim habeant fabricatoriam, quos imitantur & mathematici; merito etiam ſenſibilis mundus imagines habet ipſum exornantium numerorum. ut omnium aut in omnibus, ſed propriæ in ſingulis. Argumentationi uero à dignitatibus, & omnino ex ſcientijs orſæ ſæpe diximus, quòd & apud eos qui maxime contradictorij ſunt cum maxima difficultate occurri poteſt. nam aut hæ falſæ ſunt, aut conſonant, aut coniungantur rebus. ſi ergo falſæ ſunt, aufer omnem cognitionem. ex his enim demonſtrationes ſunt. auferens uero omnem cognitionem de nullo affirma, ſed ſi uera ſunt & coniungantur quibuſdam entium cum non ſenſibilibus primo. hæc enim indiuiſibilia ſunt, & quæcunque etiam ipſis communia coniuncta ſunt. hæc etiam à materia detinentur. Relinquitur intelligibilibus ipſas ut pares conſonare, intellectualibus uero ut imagines, & figuras exemplaribus.

SVNT autem quidam qui ex hoc quòd ſunt termini, & ultima.

DICIT *quoſdam ipſorum ut formas, & ſubſtantias terminos ſumere, & accuſat quòd non ſubſtantiæ hi ſunt, nec multo magis ſubſtantiæ ſeparabiles. dicendum eſt ergo pro uiris, quod non cognitos terminos ſubſtantias faciebant ſeparabiles, ſed eos qui ſunt in ſubſtantialibus rationibus intellectus & animæ, & naturæ, qui & principalius terminant, & finiunt generationem ipſam. quorum ſenſibiles termini ultimam aſſimilationem configurarunt.*

AMPLIVS autem inquiſierit utique aliquis, *uſque ad id*, primi uero duos numeros facientes.

DVBITAT *contra eos quidem, qui mathematicam ſolum ſub-*

ſubſtantiam præferunt, & extollunt, cur cum numeri apud eos, & magnitudines ſint, & anima, & corpora non fiunt poſteriora ſemper ex prioribus. ſed etiam cum numeri non ſint magnitudines ſunt, & fiunt, & hæc etiam ſiquis abſtulerit erunt anima, & corpora. contra eos uero qui idealem numerum admittunt, utrum magnitudines, quæ proximæ ex numeris fiunt, ſint & ipſæ ideæ, aut non. & an recipiant conſiderationem propriam, aut mathematicam ad ipſas transferre oporteat. Dicendum igitur eſt pro prioribus quidem quòd nec mathematicam ſubſtantiam ſolam conſiderant, et ordinem omnino dantes ipſis ſubiectis ſemper conferre ad ſecundorum ſubſiſtentiam priora dicunt. Recte enim dictum hoc eſt, quòd oportet eſſe continuitatem unam naturalium rerum, & nihil aliunde aduentitium inſpici, ſed quòd non ſolam mathematicam ſubſtantiam uiri hi norint, etſi mathematicis nominibus etiam, quæ de diuinis ſunt, doceant. dictum quidem eſt ſæpe in præcedentibus. Verum præſens etiam dubitatio hoc clare oſtendit. nam ſi accuſat eos ut non facientes ex magnitudinibus, & numeris animam pioribus ipſa exiſtentibus teſtatur manifeſte, quòd eas quæ ſunt in intellectu per diuinos numeros generabant, pro ſecundis uero, quòd & primæ magnitudines ideæ ſunt, per ſe circulus, per ſe pyramis, per ſe triangulum. à mathematicis uero rationibus reminiſcentiæ nobis illorum fiunt. non quia ſcilicet illis accommodentur mathematicæ ſpeculationes diſcurſiuæ exiſtentes & partitæ, & unde quo procedentes, & per ſuppoſitiones concludentes. ſed ut in epiſtolis dictum eſt de per ſe circulo, quòd nec figura, nec nomen, nec difinitio, nec ſcientia eſt eius cognitio, ſed ſpeculationem rem acquiri, & ex ſcientificis conſiderationibus uiciſſim colliſis ueluti lapidibus ignem emittentibus lumen effulgere intellectuale. Idcirco non aſſociamus illi. mathematica ergo doctrina eſt præparatio quædam ueluti in imaginibus exercentibus animam ad

 per

per ſe intuitiuam exemplaris attingentiam. non ergo concupiſcunt ideis accommodare mathematica, ſed ut ab imaginibus ad illa ab his reuocari uolunt.

PRIMI uero duos numeros facientes.

INVEHITVR *quidem nunc in ſuum præceptorem. ipſe enim eſt qui clare mathemata ab intellectualibus formis diſcreuit: quamuis etiam apud alios non alterum tantum, ſed utraque cognoſcantur Dicit autem quod non docet de generatione mathematici numeri. oportet enim ipſum generari, cum prius non eſſet, ſed neque ex eiſdem cum ideali generari debet, ne idem illi uideatur, neque ex alijs: numerum enim impoſſibile eſt aliter ſubſiſtere quàm ex unitate, & interminato binario. nos ergo dicemus contra ipſum, cur non & hoc latiſſimum ſupponis præceptorem dicere, quo etiam ipſe in ſermonibus de natura uti excogitaſti? quòd proportione quidem eadem ſunt numerorum principia, ſimpliciter uero non eadem. huiuſcemodi quid certe & tu innuis, cum dicas, ex alio quidem magno, & paruo, ſed non ex quo magnitudines. alius eſt enim binarius mathematicorum numerorum generatiuus, alius autem magnitudinum. nam in ſingulis entium ordinibus ſeorſum intellectualia, & proportionalia, & naturalia conſiderantur principia. quærere tamen quo pacto unum, quæ ubique ſunt, multa producit, & generat, & philoſophi eſt, & ab illis de cauſa huius ſermo habitus eſt.*

OMNIA itaque hæc abſque ratione ſunt.

HAEC *rhetoricas perorationes imitantur, ſed non abſoluuntur à comœdiarum ſcurrilitate. idcirco plurima ipſorũ, quæcunque rei conuenientia non ſunt, opus eſt prætergredi, aut aliter coniungere. meminit autem de Simonide in his, quæ adeo inordinate ſcripta ſunt. ſunt enim cauillatorie dicta, & minime intelligentiam complentia.*

VIDE-

VIDETVR autem & ipſe elementa magnum & paruum clamare.

QVONIAM *binarius eſt magnum & paruum. Binarius uero parem ſolum & præcipue pariter parem conſtituit, alios dicit non poſſe ex magno & paruo generatos iri: ſed dictum eſt ſæpe quem binarium magnum & paruum uocabant, et quod eum qui eſt cuiuſque multitudinis generatiuus.*

ABSVRDVM quoque eſt generationem facere æterna cum ſint.

SI PER *ſuppoſitionem hoc faciunt doctrinæ cauſa, in quo errant? niſi forte iuxta te, qui effectiuam cauſam in æternis non admittis: ſed his placet omnia ex principijs habere ſubſiſtentiam.*

PYTHAGORICI igitur utrum non faciunt, aut faciunt generationem.

QVO *more rationes has Ariſtoteles proponat, non latebit prudentiores: ſed ut ex his, quæ ponit, proſequamur Pythagoricorum intelligentiam, dicendum eſt quòd unum quidem ſimul totum dicunt, quod ex materia & forma diſpoſitum eſt. huius uero conſtitutionem ſic dicunt fieri. Ratione quæ à natura proficiſcitur colorem, & figuram, & cauſam omnino generante, primo quidem in affectum, ſeu abſque qualitate aliqua corpus fit. hoc nanque eſt infinito proximum. deinde id quod diſpoſitum eſt. cum terminus & naturalis ratio perfecte occupauerit ſubiectum. Quod uero etiam de ſeparabilibus numeris dixerunt uiri, & maxime omnium hi, etiam prius meminimus.*

IMPARIS igitur generationem eſſe non dicunt.

VT SCILICET *ex nomine ipſius paris per comparationem utique inueneris apud illos hæc dicta, Imparem nanque ipſis*

deis appropriantes iure ingenitum eſſe dicunt, parem uero materialibus proportione reſpondentem ſumentes generabilem uocant, & binario aſciſcunt. nam quod cognatos pares & impares numeros ex eiſdem generarent principijs. et ſi hos quidem unitati ſimiles eſſe, illos uero binario dicerent, ſæpe meminimus.

PAREM uero ex imparibus quidem aſſerunt.

PAREM, *materiam habentes & formam. per materiam quidem ut ex binario profectum, magnum & paruum habere dicunt: per formam uero æqualitate temperari. Hæc uero non ex tempore, ſed ſemper. ſi autem priora indiſpoſita diſpoſitis enunciant, doctrinæ gratia, communis eſt hic omnium mos. nam & tu materiam priorem dicis, & principium corporis, etſi ſemper diſpoſitam, & ornatam.*

HABET autem dubitationem & recte dubitanti.

QVOD *quidem rectum ipſum et bonum principalioribus cauſis diſtribui uult, corrigit. ſed nec hoc pacto ſermonem incipere æquum erat, ſed erat rationabilius dixiſſe: habet auté dubitationem, & recte dubitanti mirabilem, nec theologos aliud quid recte dicere quis ſupponit: ſed illud omniũ abſurdiſſimum eſt putare, aut uni bonum hoc pacto concurrere, aut unum maxime primum ſic principium dici, ut elementum, ex quo cum inſit numerus conſtat. omnia enim hæc falſo narrata ſunt. nam unum & bonum idem ſunt apud Platonem, & abſtractum eſt ab omni ſubſtantia, & intellectu, & uita.*

POETAE uero antiqui huic ſimiliter aut regnare, aut dominari.

NEQVE *hæc, ut rei ueritas eſt, narrata ſunt de theologis. Illi nanque noctem quidem, & cælum dicunt regnare, & ante*

te hæc maximum ipſorum partem qui, & ætherem deis, mũdumq; mortalibus diſtribuit, cui primus regnauit inſignis Eriſcepæus, poſt quem nox ſceptrum habens in manibus Eriſcepæi. poſt quam cælum quod primum dijs dominabatur, poſt matrem noctem, ipſum autem Chaos eſt ſuper regnantis habitationem. Iouem uero non primum, ſed quintum regem nominant manifeſte data ei à nocte oracula. Immortalem deorum regem quintum factum iri. principium igitur maxime primum etiam apud ipſos unum eſt & ipſum bonum, poſt quod binarius ipſo regno melior æther & Chaos ex ſententia Pythagoræ: deinde prima, & ſecreta deorum genera, in quibus primus apparens eſt uniuerſorum pater & rex, quem ob hoc Phaneta appellarunt. neque igitur optimi philoſophorum à dijs abſiſtunt, nec theologi potentiora, & meliora principalioribus ipſis dicunt, quæ poſteriora ſunt: ſed una eſt apud omnes eos ueritas.

VERVMTAMEN his quidem, quia permutantur dominantes entibus.

RECTE *quidem primam cauſam optimam eſſe dicentes recipis: theologi tamen non faciunt mutationes regnorum. etſi hoc uideantur præſeferre fabuloſa figmenta: ſed antiquioribus ſemper manentibus in proprijs moribus ſecunda hoc pacto ſubſiſtere dicunt.*

DICENTIVM autem immobiles ſubſtantias eſſe.

E S T *quidem ſuperſubſtantiale & apud Platonem unum ipſum & bonum. & apud Crotinum Pythagoricum, & apud omnes fere qui à ſcholis Pythagoricorũ profecti ſunt. ſed tamen ponatur unũ eſſe ſubſtantia primi principij, quod uocabant bonum, ut unitatis & boni omnibus cauſam exiſtẽtem, & uideamus, an aliquod ad eos abſurdum ſequatur.*

Dvbitatio igitur eſt hæc, utrum oportet dicere.

Primo *quidem & per ſe ſufficientiſſimo hoc eſt ei bonum eſſe per ſe ſufficiens: ſed ineſt ei ob ſimplicitatem ſubſiſtentiæ. non enim eſt bonum & aliud quid, ſed hoc ipſum bonum. Quare unum eo quod non componitur. eius natura ex bono & altero quodam. ſic enim indigeremus altero principio, in quo bonum nulli cuiuis miſtum eſſet, & eſſet ſincerum. adducit enim ipſe difficultatem de uno, quoniam modo conſueto potius quàm theologico ipſum intelligit. ſi autem aliqui unum ſupponentes eſſe mathematicorum numerorum poſt unum auferant ab ipſo ipſum bonum, non de omnium principio differunt. ſed de cauſa numerorum monadicorum, hoc eſt, qui ex unitatibus conſtituuntur, & conſtat ipſum quoque bonum eſſe eorum, quæ ex ipſa generantur. non tamen ſimpliciter ipſum bonum. Certe enim quod dicit omnes unitates fierent in quod bonum: unitates non materiales, ſed quæ in ſpeciebus numerorum conſiderantur, quæ ſunt huius quidem numeri bonum. quinitas ipſa, ut ita dicam, quinarij & decas denarij. non tamen id quod bonum ſimpliciter, ut unitates, quæ à principio maxime primo proficiſcuntur. Illæ enim non ſolum dei ſunt, ſed & deorum continentiæ quædam, & nullum abſurdum eſt in uniuerſis affluentiam eſſe bonorum. nam quod diuinum eſt inuidia caret, & eſt incomprehenſibile humana ratiocinatione. & ideæ quoque & numeri ſpeciem habent boni, tanquam maxime primæ cauſæ fœtus exiſtentes. & non oportet hæc ut abſurda afferre quæ ex ſe uiri admittunt.*

At vero cuiuſcunque uelit ponat quis eſſe ideas.

Si vnvm, *inquit, eſt bonum, boni ſpeciem habent & ipſæ ideæ. Quod ſi conceſſum fuerit, dubium ei emergit, quorum oportet ideas ſupponere. nam ſiue bonorum tantum, quæ hic ſunt, ut uirtutum, neque ſubſtantiarum erunt ideæ,*

neque

neque ſubſtantiæ, ſiue ſubſtantiarum, erant omnes, quæ hic ſunt ſubſtantiæ bonæ, quoniam per ipſas ideas ſubſiſtunt, quæ bona ſunt. Cum his etiam omnibus ſi unum, inquit, bonum eſt, non unum ſiue binarium, ſiue inæquale, ſiue multitudinem illud oporteat uocare, erit malum. ut ex contrarijs generatio rerum ſit. Ad quem dixerit utique quis quòd ſi & uirtutum erant ideæ, non prohibebãt eſſe ſubſtantias. non enim quale eſt exemplar huiuſcemodi prorſus eſt & imago, ſed & impartibiles partibilium ſunt cauſæ, & intellectuales non intellectualium, & immortales mortalium, ſic & ſubſtantiæ qualitatum non quarumcunque, ſed earum, quæ ſubſtantiarum perfectiuæ ſunt. & ſic omnium etiam ſubſtantiarum ſunt ideæ, ut & ſunt, non neceſſe eſt, quæ hic ſunt omnia pulchra bonaq; eſſe. non enim ſemper retinet menſura, id quod à ſuperioribus recipit, immo euerſa ad immoderationem deferuntur. Cur præterea ſi unum bonum eſt, alterum principium neceſſe eſt eſſe malũ. primum enim illud unum dicunt eſſe ipſum bonum, quod abſtractum eſt ab omni compoſitione cum alio. & eſt ſuperius ad duo principia, quæ poſt ipſum ſunt. ſed etiam, ſi quod prius eſt, & diuinius duorum principiorum, quam unitatem uocant, bonum eſſe dicant, non ſequitur ad eos binarium. & ſi aliam habeat oppoſitionem ad unitatem, malum dicere. non enim ex huiuſcemodi oppoſitione diuina generantur atque procedunt, ſed ex optimo principio & ſinceriſſimum bonum habente. Quare quæcunque in ſequentibus, ut ſequentia ſuppoſitioni, colligit impoſſibilia, in nullo conuenientia uiris illis infert. nam apud eos malum ex principijs penitus excluſum eſt, ut diuus Plato in Theæteto manifeſte dixit, quòd impoſſibile eſt inter deos locari, ſed mortales naturas, & hunc locum neceſſario inhabitare.

IDEO hic quidem effugiebat bonum adiungere uiri.

QVI *eſt fugiens? Cur fruſtra ſomniatur aureus Chryſippus? quo etiam pacto ſequebatur ex huiuſcemodi contrarijs eſſe diuinarum rerum ſubſiſtentiam?*

HI VERO dicunt inæquale mali naturam.

RECTE *dicit. inæquale enim qnod eſt in cauſa entium aſſumebant, quod & antiquius eſt alteritate ipſa, quæ eſt in generibus entis. non ſolum optimum dicebant eſſe, ſed & optimorum maxime generatiuum. ſi autem in ultimis & materialibus eſt aliquod apud eos inæquale improbatum, nihil hoc ad multitudinis generatiuam cauſam, niſi quòd & illinc etiam quodam modo hoc eſt.*

ACCIDIT itaque omnia entia participia eſſe mali extra unum ipſum unum.

HAEC *omnia ſequuntnr ad eos, qui duo principia uniuerſorum faciunt, ipſaq́; per bonum & malum diuidunt. omnia enim participabunt malo præter alterum principiorum, ut Empedocles, omnia participare lite uiſa ſunt præter ipſam amicitiam, et priora poſterioribus purius habebunt malum, & operabitur bonum in malo, & deſiderabit malum ipſum bonum, etſi ſit eius pernities & corruptio. Si autem et materiale ſit hoc malum, erit potentia optimum. & dignum certe eſt admirari Ariſtotelem in his, quo pacto nouit ſequētia ad hanc ſuppoſitionem abſurda, & minimis illa tradidit, non ob hoc tamen & dicere ipſum aliquid contra Pythagoricos putandum eſt. nam nullo pacto illi malum in principijs aſſumpſerunt.*

HAEC itaque omnia accidunt.

HOC *quidem abſurdorum ſequitur, inquit, quia omne principium elementum faciunt. Quod abſurdum putat ad hoc ſequi?*

ſequi? omnia eſſe bona, ſi ipſum bonum, ut elementum eſt, principium: alterum uero quia contraria principia putant, eſſe & malum principium: alterum uero, quia ipſum unum principium eſſe putant. non enim erit amplius, inquit bonum ſi quidem eſt unum: alterum uero, quia primas ſubſtantias numeros eſſe dixerunt, immiſti mali participes eſſe numeros. quatuor igitur abſurda ſecuta ſunt, ad quatuor ſuppoſitiones. omnia enim erunt bona & mala, præter unum ipſum & malum principium, & principium non bonum, & numeri mali immiſti participes erunt. Dicendum eſt ergo ad ipſum, quòd neque elementum quale tu intelligis faciunt omnibus principium, neque hæc contraria faciunt principia, ut hoc quidem ſit bonum, alterum uero malum, neque ipſum unum iuxta intelligentiam illorum excipis, nec ſequitur ad id, quod eſt, ſeparabiles numeros eſſe participes, ipſos eſſe puri & immiſti mali: cum ſcilicet miſtum malum effugerit pridem non ex intelligibili ſola ſubſtantia, ſed & ex uniuerſo æthere. hic uero circa mortalem naturam oberret, & aſſocietur particularibus bonis per receſſum ab ipſis. Recte igitur tradita ſunt principia, & melius eſt bonum unum dicere, quàm intellectum. Qui enim unum ipſum uocat, immiſtum bonum ſeruat, & ſolum bonum. nam bonum non uult coniungi alicui. Qui autem intellectum uocat, non ſolum bonum facit. ſi autem & animal & ens & intelligibile manifeſte ab ipſo bono ad id, quod ſpeciem habet boni defertur, nec uere unum aſſecutus, & uni multa diſtribuens.

NON RECTE autem opinatur, neque ſi quis aſſimilat.

ERANT *fortaſſe quidam, qui & uniuerſorum principia imperfectiora eſſe putabant ſuis effectibus, putantes generabilibus*

bilibus eodem modo ſe habere uniuerſa, contra quos dicit: nec generatio ſimpliciter ex imperfecto ad perfectum docuit, ut ex ſemine ad animal, ſed etiam imperfectum ex perfecto ſubſiſtere facit. homo enim eſt prior ſemine & eſt cauſa ſeminis. & ſimpliciter quod actu eſt, eſt prius eo quod potentia. & ſaluus eſt quidem ſermo in utriſque, & recte percutit eos qui unum ſimul quidem principium dicunt entium, ſimulq; in ſubſtantiale eo modo quo ſubſtantia deterius. & de generabilibus ſufficienter differit, cum perfectum imperfecto præponat. Verum ſi non admittat rationes, quæ ſunt in uniuerſo, neſcio quo pacto opinionem ſeruare poterit. nam quid de animalibus ex putrefactione dicetur? quid præterea de arboribus, aut uirgultis, aut herbis ſponte naſcentibus. non enim etiam in his putabimus præeſſe in natura uniuerſi effectiuas ipſorum rationes: ſed qui has non admiſerit, quo pacto aut ante imperfectum perfectum in natura permittet, aut ex uniuocis ſingula ſubſiſtere faciet? Dicere enim quòd ſol & zodiacus cum ſint perfecta & ſubſiſtere hæc faciunt & perficiunt, maxime quidem eſt communem dicere cauſam generabilium, & non ſingulorum propriam. Deinde quo pacto inſtrumentalibus membris diſtinguunt culicem & uermem & cetera ex putrefactione. ſi neque ipſi horum habent rationes, neque moueant id quod habet, niſi forte ipſi caſui horum ſemper generationem commiſerit & membrorum dearticulationẽ: ſed caſus non ſemper eodem modo, ſed in contingentibus in minori conſpicitur.

Absvrdvm autem eſt & totum ſimul ſolidis & mathematicis facere.

Hoc *Alexander in Platonem dicit proiectum eſſe. ſi ergo recte coniectat Ariſtotelis intelligentias, nec nos inconſideratum aliquid dicemus de diuo Platone, cum dixerimus*

mus ipſum mathematicis corporibus imaginationem noſtram locum facere, quemadmodum materialibus formis materiam, ſed eſt in hoc differentia, quod à natura quidem ipſa materia materialem formam recipiens, nec nouit id, quod recipit, nec detinere ipſam poteſt. à ſuperiori uero anima imaginatio noſtra mathematicum corpus recipiens, & conſiderat ipſum, & quantum eſt in ſeipſa permutare ipſum poteſt. alius ergo eſt locus naturalium corporum, alius materialium formarum, alius mathematicorum corporum, alius immaterialium rationum, & non nos hæc innouantes dicimus, ſed & ipſe Ariſtoteles locum ſpecierum intellectiuam animam uocauit, quod uero etiam de naturalium corporum loco à Platone dictum ſit, qui Tymæum non fruſtra examinare cognoſcunt.

OPORTEBAT autem ex elementis dicentes eſſe entia.

NON *eſt eadem ratio de ſubſiſtentia mathematicorum numerorum, & de ea, quæ eſt idealium. nam illis quidem etſi non naturalem mathematicam, ſaltem materiam tribuimus ſubiectam illis quantitatem. Ideales uero omniquaque impartibiles, & intellectuales actiuos & fabricatorios eſſe credidimus in ſimplicibus formis, & immaterialibus & principijs conuenientem ad ultima ſubſiſtentiã habentes, et opus erat his ita ſe habentibus clare diſtinguere de quibus numeris interrogationes has fecit. ueruntamen quia magis uidetur de idealibus interrogare. prima enim entium non mathematicos dicebant uiri numeros, ſed ideales intelligat iterum, quòd nec miſtio, nec compoſitio, nec ſubiectum, nec priuationes, nec corruptiones recipiens elementum, nec aliquod aliud huiuſcemodi, ad conſtitutionem diuinorum numerorum aſſumitur. nam omnia hæc circa materialem, & alias aliter ſe habentem naturam uerſantur. diuina uero omnia ma-*

nentibus ſemper principijs proprijs modis procedunt ex ſui natura fœcundæ, ob fœcundæ primarum cauſarum uirtutis affluentiam, & propter ſui ſponte ſplendentem, & ſponte fœcundam proprietatem, habent ſe ſemper in eiſdem & eodem modo, procul quidem firmata à generatione, & corruptione, compoſitione, & diuiſione, & omnino mutatione. naturam uero totam, & auxiliantem naturæ animam ducentia, & dirigentia, & ut circa ſeipſa generationem faciant præparantia, ne generatio deficiat, aut circa materiam irregularitas uincat. exornantur uero omnia idearum & numerorum naturalibus, & opificijs ſcientijs. de his itaque numeris differentes, cur de corruptione mentionem fecerint? qui enim etiam quæ ſui natura fluxa, & mortalia, & corruptibilia ſunt, reijciunt, & renuunt, quo pacto à rectis ſibi occurrentibus corrumpi poſſe putauerint? ſed nec Empedocles recte accuſatus eſt nunc (forte autem nec aliàs) tanquam miſtum ipſum corrumpens per litem, neque enim lis eſt corruptiua, ipſa quippe eſt quæ mundum facit, neque ſphærus unquam diſſoluitur apud ipſum, niſi quis uerbis incumbens, quæ in tota ſua theologia proponit, ab intellectu uiri ſemoueatur. ſed eſt lis quidem apud ipſum multitudinis, & alteritatis generatiua, amicitia uero identitatis, & unionis. idcirco & dominatur in intellectibus quæ nominauit ſphærum, amicitia ipſa, in ſenſibilibus uero lis. nam ex utraque parte unum eſt & multitudo, ſed alicubi quidem unum, alicubi multitudo dominatur.

NIHIL autem determinatum eſt, neque utro modo numeri cauſæ ſint ſubſtantiarum, & eſſe.

D V A S *opiniones exponit de ſubſiſtentia ſubſtantiarum ex numeris. quarum neutram admittit. neque enim, inquit, termini ſubſtantiarum ſunt numeri, ut linearum puncta, ſic*

ſic enim Pythagoricus Eurpius exiſtimans huius quidem plantæ hunc numerum terminum eſſe dicebat, huius uero animalis hunc, quemadmodum & trianguli ſenarium, quadrati uero nouenarium, cubi autem octenarium, neque ut alij dicunt quòd ſubſtantiæ quidem per rationes generantur, rationes uero ſunt quædam conſonantiæ, conſonantiæ uero habitudines numerorum modulatæ, & compoſitæ. nam ſecundum nullam harum eſt dicere, inquit, quo pacto accidẽtia fiunt ex numeris. dicendum uero eſt quòd Eurytici quidem imagines intuentes in numeris ipſarum rerum recte quaſdam quibuſdam ſecundum proprietatem attribuerunt, ut numerum CCXIII *tanquam areolam corpori, numerum uero* 216 *ut inangularem cubum animæ. ſecundi uero naturales prætermiſerunt numeros tradere. uere ens hi ſunt effectiui conſonantiæ in ſubiecto. nam quo pacto etiam unum fieret ſubiectum unius formæ dominio, non conſonantibus in ipſo, & modulatis contrarijs? hæc uero quiſnam alius numerauerit præter ipſam naturam? quemadmodum autem muſicus per mathematicos numeros lyram, ſic natura per ſuos naturales numeros, ſuos componit, & modulatur effectus.*

QVOD autem numeri non ſint ſubſtantiæ, nec formæ ipſius cauſæ.

VOLENS *oſtendere quòd forma non eſt numerus, nec ex numeris conceditur rebus ipſis, ſed ſi omnino confert aliquid rebus, eſt quantitas materiæ, abutitur ijs, quæ ab Empedocle de conſtitutione oſſium dicta ſunt,*

Terra uoraginibus geminas ſortitur in amplis,
Splendoris fluidi bene miſta ex partibus octo.
Quatuor aſt ignis, oſſa hinc ſunt candida dicta.

Dicit autem omnem numerum in ſubiecto eſſe, aut in unitatibus, aut in ſiccis, & humidis corporibus, miſtionis ue-

 ro

ro cauſam rationem eſſe, & non numerum. Ridiculum profecto eſt eum, qui in illos uiros inuehitur, accipere quòd omnis numerus quorundam eſt, & indiget ſubiecto, & rurſus quòd ratio eſt miſtionis cauſa & non numerus. cum illi & immateriales numeros ſupponerent, & naturæ numeros cauſas enunciarent eſſe cuiuslibet in ſenſibilibus aptæ, atque compoſitæ miſtionis. quis igitur alter magis quod in principio eſt, non petierit, ſed arripuerit, non facile eſt dicere.

NEQVE igitur eo quòd agat numerus cauſa eſt, nec omnino numerus, nec monadicus.

CVM *quatuor ſint cauſæ nullam harum dicit eſſe numerum, neque enim, ut ſemen effectiuam habet potentiam, neque ut forma eſt in ſenſibilibus, neque ut materia, neque ut finalis cauſa. dicit autem quòd omnes cauſæ numeri ſunt præter materiam. An neque cauſa eſt, ſed ad generationem ſubſeruit alijs cauſis. etenim operantur, & alios numeros communicant materiales formæ ſubiectis, & ſui cauſa agunt diuini numeri, & beati.*

DVBITAVERIT quoque aliquis, & quid eſt bonum quod eſt à numeris.

QVONIAM *congruum, & aptum quod illi* εὐάριθμον, *hoc eſt bene in numero conſtitutum, ubique apud eos laudatur. quod autem non habet rationem ad alterum, ut numerus ad numerum irrationaleq́; , & immoderatum eſſe dicunt, dicit ipſos non inſpicere quo pacto mel miſtum, quod melicratum Græci uocant, ſiquidem per numeros aut impares, aut pares, quos nunc congruos uocauit, miſtus aut decentius fit & utiliori modo, & maxime ſi perfecte, & ſimiliter, ut ter tria fiat. ſi uero aquatilius, minus ſanum, ei enim è contrario uidetur. dicendum eſt autem ad hoc, ut cauillatiunculam quandam, quòd utilior miſtio congruentior eſt, & cum*

ſit

ſit conſonantior proportionata eſt, atque commenſurata: hoc uero per naturalem arithmeticam acquiritur. ſic uero inſtare poſſet quis, & contra eos, qui in ſingulis actionibus occaſionem obſeruant, dicens melius eſſe cum prudentia agere quàm per occaſionem, qui ſcilicet non ad omne inſpiciunt, nec ratiocinatione cum ſenſu utuntur, & qui prudentiam negligendam eſſe, ſoliq; opportunitati fidendum iubent: ſed primum hoc eſſe prudentiæ opus dicimus ratiocinantem opportunitates ſingulis actionibus accommodatas cognoſcere. deinde hoc pacto cetera ad finis ordinem tendentia conſiderare. ſic ergo & illi uiri dicunt non tenues numeros, & hos mathematicos præeligi apud naturam, & prudentes uiros, ſed bonum per numeros optimos, & proportionem habentes non mathematicos, ſed naturales, & actiuos ſingulis aduenire. omnia enim per numerum Deus, naturaq; operantur. prudentes autem uiros per mathematicos numeros oſtendere pulchritudinem operatoriorum numerorum. cum non poſſint alio modo docere eos, qui non proſequuntur totum ordinem entium. igitur nec quod utile eſt negligemus, nec opportunitatem eligentes, aut deos inuocantes, nec optimos, aut pulcherrimos numeros his, qui non huiuſcemodi ſunt præeligentes, ſed per hos ipſos aſſequi finem ubiquę tentabimus, Deum pro uiribus imitantes, qui per opportunitatem, & congruos numeros ſingulis occurrens bonum diſtribuit. & hoc quidem huiuſcemodi eſt. conſequenter uero dicit quod componuntur potius numeri in rationibus, quàm multiplicentur. omnino enim in multiplicationibus unum latus menſurat totum numerum, ut nouenarium ternarius, duodenarium, ternarius, & quaternarius. quare etſi perfectum eſſet hominis corpus in nouenario 2. 3. oporteret ipſum per quatuor menſurari, ſed impoſſibile eſt. nam neceſſe eſt & ignem, & aquam, & cætera elementa ad horum conſtitutionem aſſumi. hæc uero uno, & eodem

men-

menſurari non poſſunt. ſed eſt clara etiam in his uiri obratiocinatio. mathematicas nanque multiplicationes in naturalibus rebus aſſumit: cum antiquiores ipſi philoſophi proceſſus rationum naturæ multiplicationes nominent, ſubiectis uero dominantes proportionem habentes, & conſonantes: quod uero poſt omnia dictum eſt, nullam uim habet. quod ſi omnes res communicant numero, & omnis numerus in rebus eſt, neceſſe eſt & multas eodem numero uti, & multos numeros eiuſdem eſſe. nam quemadmodum cum omnia nomina & orationes ex elementis ſint, & omnia elementa in orationibus appareant, nec neceſſe eſt diuerſas orationes eiſdem elementis uti, ſed aliquo quidem modo uti, aliquo uero non, nec diuerſa elementa in eadem unam eſſe, puta elementa huius uocis, Platonis in ea quæ eſt Socrates, ſic in naturalibus rationibus, & numeris omnes ſunt operatores, & omnia per eos naturalia conſiſtunt, non tamen diuerſa eiſdem impermutabiliter numeris ornabuntur, ſed quod in indiuiduis ſubſtantijs quidam ſequentium eum dicere conſueuerunt quod quæ inſunt cuilibet ipſarum, omnia concurrere in alia non poſſunt. hoc & de numerorum actione patet dici. neque enim aliunde aut materiales formæ, aut quæ his inſunt per ſe, aut accidentia, quàm ex naturalibus rationibus, & numeris ſubſiſtentiam habent propriam.

VTRVM igitur hæc eſt cauſa, & ob hanc eſt res.

QVOD *quidem ſolaris eſt aliquis numerus, & lunari s alius, & cuiuslibet eorum, quæ in cælo mouentur, proprius, cæco etiam (ut aiunt) eſt manifeſtum. non enim diſtantiæ latio num ſemper per eadem, & eodem modo fierent, niſi unus, & idem numerus in uno quoque dominaretur. omnes tamen hi conferunt diuini proceſſui genitoris, & continentur à perfecto huius numero. Verumenimuero & cuicunque animalium eſt naturalis quidam numerus. non enim utique*

eodem

eodem modo quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, organis diſtinguerentur, nec circa idem pubeſcerent & ſeneſcerent tempus, aut generarent, aut nutrirentur, aut augerent fœtus, niſi eadem detinerentur naturæ menſura. & etiam quòd hic cauſa ſit meliorum, & deteriorum generationum, audiuimus à præſtantiſſimo, & optimo Pythagoricorum Platone ipſo. Quid igitur opus eſt naturalibus, & operatorijs numeris in idem ducentem mathematicos perturbare ſermonem? nam etſi quadratos quandoque dicamus, aut cubos naturalium numerorum pleroſque, non monadicos ipſos facimus, ut numerum nouem, & numerum 27. ſed per ſimilitudinem ipſorum proceſſum, & eiuſdem circa generationes ipſorum dominium per hæc nomina ſignificamus. ſimiliter quoque etſi æquales dicamus, aut duplos, formarum dominia, & conſonantiarum in ipſis oſtendimus. quare non ex hoc aut diuerſa eodem numero utentur, quatenus diuerſa ſunt, aut eadem alio, & alio, quatenus eadem ſunt. neque enim mathematicorum more audienti numeros hæc utique ſequerentur abſurda, cum quadrati plures, & infiniti ſubintelligi poſſint cubi, & æquales, & dupli, nec his profectò qui ad uoluntatem utentium hac conſideratione naturaliter ipſa pertractant, impedimento fuerint.

SED PROPTER quid cauſæ hæc, ſeptem quidem uocales.

AC SI *diceret, ſed uideamus ipſarum probationes, quibus has dicunt rerum cauſas. ſeptenarum ergo laudantes dicunt, & uocales eſſe ſeptem per quas literata perficitur uox, & conſonantiæ diapaſon ſeptem uoces, & adhuc ſeptem pleiadas, & ſeptimo anno dentes emittere animalia. quibus omnibus obiurgatorie, & redarguitiue inceſſit illud, quòd quædam hoc modo habent, quædam uero non. ſeptem quoque, qui ad Thebas exercitum duxerunt. deinde oſtendit quòd*

nullum

nullum horum ob ſeptenarium numerum fit, ſed ex alia cauſa, & re uera riduculum eſſet, aut Græcorum ducum numerum hunc eſſe cauſam dicere, aut Pleiadis. non enim ipſa fretum eſt dicere, quòd ſic conſtitutum eſt ex opificis prouidentia, ſed potius quòd uniuerſa conſtellatio multa poſitione participat. idcirco & apud Aegyptios aliter, apud Chaldæos uero, & Græcos aliter ſunt diſpoſitæ inerrantes. dicit quoque de duplis conſonantibus quòd non ob hoc tres ſunt, quia tres ſint conſonantiæ, & rectè dicit. nec eſt unamquanque ipſarum reducere ad ſingulas conſonantias, ut ζ ad diateſſaron, aut ξ ad diapente, aut ψ ad diapaſon, ſed potius quia ſunt tres modi probationis, per ſingulum una perficitur. Hac quippe aſſignatione etiam Archinus uſus eſt, ut narrat Theophraſtus. dicebat enim Archinus non exterius penes clauſuram labiorum proferri ipſum ψ, ut ipſum π. propter hoc ψ. in extremitate generatur linguæ ueluti ex πσ. compoſitum, aut latitudine linguæ iuxta dentes ut ipſum δ. & propter hoc ipſum ζ in hoc loco generari, aut connexo inſidente ex ultimo, ut ipſum κ. unde ipſum ξ procedere. quod uero hæc ſint magis naturalia, quàm tres conſonãtias cauſas adducere, quilibet utique fateatur. nihilominus non ex hoc quòd quidam recentiorum flagitioſis aſſignationibus uſi ſint, opus eſt ob hoc numerorum naturales ſermones improbare, ſed ſi quidem inuentum eſſet aliquid huiuſcemodi, aut apud diuum Platonem, aut apud aliquem inſignium Pythagoricorum. illud calumniam inferret doctrinæ, ſed quia poſt Pythagoras multa & ueneranda, & diuina de ſeptenario dicens nulla huiuſcemodi utitur aſſignatione, immo prudenter oſtendit, quo pacto natura per ſeptem annos, aut menſes, aut dies plurimas huiuſcemodi rerum perficit, aut traſmutat. alij uero de denario differentes dederunt eius in uniuerſo diuino genitori regnum, & in ſingularibus naturalium operum imperium, ipſeq; Pythagoras de omnibus numeris qui ſunt

ab

ab unitate uſque ad denarium docens theologice ſimul & naturaliter uerſatur, nullam tenuem & frigidam aſſignationem attingens. quid opus eſt legitimos uirorum deſtituentem tractatus conſcriptos ex his qui illorum philoſophiam ſimulant, contra diuinos uiros augere calumniam? Sed ſi opus eſt etiam hoc addidiſſe, ipſe quoque dæmonius Ariſtoteles manifeſte in quibus non amat contentiones naturalem numerorum potentiam admiratur, & Pythagoricorum ſpeculationem proſequitur, & quæ de ternario dixit in proœmio negocij de cælo cum adducit in teſtimonium Pythagoræ doctrinam & tandem exclamans, quòd à natura accipientes, ut leges illius ad ſacrificia deorum utimur numero hoc, omnibus clariſſima ſunt. Quæ uero de ſenſibus & ſenſibilibus exponuntur, cur non aliquis obliquauerit? Inueniens enim generaliſſimos ſapores octo, acerbum, auſterum, amarum, ſalſum, ponticum, acutum, dulcem, pinguem: & rurſus octo ſimpliciores colores, album, flauum, puniceum, purpureum, uiridem, fuſcum, cæruleum, nigrum, ſeptem utroſque facit creationi hunc numerũ conuenire putans, & in idem compellens amaro ſalſum, nigro uero fuſcum. non igitur, quæ probamus in expoſitorijs compoſitionibus, hæc in contradicentibus proſequamur opprobrijs.

SIMILE itaque etiam hi antiquis Homericis, qui paruas ſimilitudines inſpiciunt.

QVOD *& exponentium Homerum quidam ſibi ipſis conſequentia non obſeruant, & nitentium imitari Pythagoricos quidam à uera ipſorum ſpeculatione decidunt, & in lubricas & deridendas ſuſpiciones deferuntur, oportet concedere. ſed nihil eſt hoc contra Homerum, aut Pythagoram, aut eos, qui poſſunt ad ueriſſimum illorum conſiderationem recurrere. Deridendi igitur & illi ſunt, qui ob hoc inter*

XII & VI *duos medios eſſe dicunt nouem, & octo, quia carmen* XVII *habeat ſyllabas, aut qui medias duarum ſyllabarum cauſas eſſe dicunt uerſus. abſint enim dicunt, quæ odia irritant. ſi enim & numeris utuntur carmina, quemadmodum & utuntur, non tamen hac regula perficiuntur. Ridiculum quoque eſt foramina tibiæ propter literas tot facere, aut accommodare uigintiquatuor elementa mundi integritati. nam etſi aliqua una ſit horum cauſa, ut & eſt, aliter tamen eſt ipſa conſideranda; ſed docens non eſt receſſus ſimulantium eos ad calumniam uniuerſæ philoſophiæ aſſumere.*

CAVERE autem oportet, ne talia quis dubitauerit.

QVONIAM *æterna ordinata ſunt & ſemper eodem modo ſe habent. magna eſt, inquit, in eis dubitatio uti conſiderationibus numerorum quandoquidem, & in his, quæ diuerſis diuerſimode temporibus afficiuntur, eſt multa huiuſcemodi ſubintelligere. oportebat autem hoc ſignum ſufficiens facere, quòd per quoſdam diuinos numeros æterna diſponantur. Mortalia uero per diuinos & naturales. ſi enim ſemper æterna hoc modo ſe habent, ſecundum naturam ſic ſe habent. ſi ergo numeraliter ipſis occurrentes, uerum dicimus de ipſis, quòd natura ſancta ipſis eſſe præbuit, ſic nituntur conſiderare ipſa, qui legitime philoſophati ſunt. Age enim in uno dicamus, ſol per tantum tempus recedit & hoc ſemper, igitur naturaliter hoc modo, atqui hoc tempus huiuſcemodi numerus eſt. natura igitur cum tali numero ei eſſe præbuit, & Lunæ cum tali, & unicuique cæleſtium, non tamen cum mathematico, ſed cum opificio atque diuino. etſi in mathematicis imagines eius quaſdam conſiderare poſſumus, eo quòd poſteriores numeri ex prioribus ſemper dependeant, & ſecundum illorum proprietatem procedant,*

procedant, & illi in ultimis ordinibus eluceant. Animalia quoque mortalia, quantum in ipſis natura dominatur (dominatur uero non ſemper, ſed plurimum) tantum proprijs numeris diſpoſita ſunt.

SED quæ in numeris naturæ, ut quæ laudantur & his contraria.

CONCEDET *quidem & in numeris & in figuris, & in coloribus & in ſingulis, eſſe ipſum bonum & oppoſitum ipſi bono: ſimiliter & in natura, non tamen & eius quod eſt in natura melius, meliorem numeri coordinationem cauſam eſſe dicit, ſed potius horas, uerbi gratia, anno priores eſſe uult & magis cauſas, quàm ſit ipſe numerus, ſed non numeros horarum; & hoc iure ſuſtinet, qui numeros poſterius genitos intelligit. Similiter quoque interrogandus eſt ipſe, unde nam horæ ſemper eodem modo. aut enim ex Ioue, aut ex ſole aut ex alio, ipſorum opificum. Igitur illinc menſurantur & diſponuntur per effectiuam numerorum potentiam. omnino autem cur non ante id quod eſt in alio quod in ſe eſt meditamur amplecti? quin & bonum, quod eſt in ſingulis inſpicientem, non de ipſius cauſa loqui, & non reducere omnia in unum principium, à quo quòd ipſa & ſimiliter ſe habeant, & per eandem rationem proficiſcantur, conſeruatur diuellentis eſſentia; & obliti illius dicti, non eſt bona pluralitas principatuum. et ſi quis non fateatur rationem unam præexiſtere oportere his, quæ per rationem proficiſcuntur? hic uero non affirmat. Hoc quoque paſſus eſt in naturalibus ſuis conſiderationibus, cum fortunam non unam cauſam multorum principiorum collectricem ſupponat, ſed concidentias dicat eſſe ea, quæ à fortuna ſunt; & fortunam in cauſalem cauſam. unde multum eſt apud ipſum quod temere eſt & inconſultum, quod profecto in-*

li diuini, illud fecerim, te cum grauiſſimus ſis, & fœcundiſſimus ſcriptorum qui enarrantur, ad eo male affectum eſſe circa contradictiones quas in eos feciſti, ut nihil uictorioſum habeant, nec probabile dixerint, uel potius nihil omnino in eos dixerint, immo & plurimæ alijs ſuppoſitionibus utantur, quæ nihil antiquorum tractatui conueniunt. alicubi uero cum dicere aliquid contra illorum ueras doctrinas proponeres, extra propoſitum obuiaſſe. Hæc ſunt, quæ in his contra dicit Pythagoricorum & Platonicorum ſpeculationibus Ariſtoteles, quæ certe complectuntur, & ea quæ in maiori α dicta ſunt, ut & commentator Alexander commentatus eſt. Ideo & nos hæc adnotantes neque illa dereliquiſſe putamus. Verum nec quæcunque in duobus de ideis libris contra ipſos dixit. fere enim etiam ibi hæc eadem orbiculariter repetit. Quare iure per eadem utique fuerit etiam ad illa occurſus. Nos ergo deos philoſophiæ tutores imprecati ſermonem fingamus. Cum autem multæ ſint dictæ ad utranque partem rationes, uiuant occurrentium intellectum, quæ ueriores ſunt, & Deo gratiores.

IN ACADEMIA VENETA,

M. D. L V I I I.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

123

124

R

FINE

R

FINE

A. PANDIMIGLIO
RESTAURO
DI
LIBRI - ROMA